352

HYPOCRISIS MARCI ANTONII DE DOMINIS DETECTA,

SEV

CENSVRA IN EIVS LIBROS DE REPVBLICA ECCLESIASTICA,

præambula pleniori reſponſioni.

Auctore Fideli Annoſo Verementano Theologo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA;
Apud Balthaſarem Moretum, & Viduam
Ioannis Moreti, & Io. Meurſium.
M. DC. XX.

35 - 7. H 1

353

MARCO ANTONIO DE DOMINIS OLIM ARCHIEPISCOPO SPALATENSI.

Hoc Opus de Monarchia ROMANI PONTIFICIS aduerſus Rempubliam tuam, M. Antoni, eodem quo priùs *Apoſtaſiæ tuæ ſynopſin* animo, ſalutis tuæ minori quidem iam ſpe, nõ minori deſiderio elaboraui, ſeriùs voto meo prodit in lucem, nec huius moræ cauſas attinet dicere. Mihi, ſi lucratus te ſim, ſatis citò; ſin minùs, tibi nimiùm citò prodierit, ex cuius lectione non niſi maius iudicium tibi

accerſes,certioriſque exitij cauſam; vt ex hoc ſæculò diſcedas *eò damnabilior, quò obſtinatior aduerſus apertiſſimam veritatem.*

Non alteri quàm tibi debuit offerri hoc Opus,cuius vnius ſalutis causâ conſcriptum eſt; qui tuis erroribus, quos circa regimen Eccleſiæ recèns inueniſti, vnus peris: nam dogma propriè tuum, quod toto Opere ſtabiliri conaris: nimirum *ſupremum totius Eccleſiæ regimen eſſe penes Epiſcopos, inter ſe prorſus diuino iure pares*; hos autem *ſingulos vniuerſalem poteſtatem habere*, ex ipſis quemlibet in ſuâ Eccleſiâ *dominum abſolutum & independentem eſſe, qui nulli mortalium, niſi vni Deo, actionum ſuarum Eccleſiaſticarum teneatur reddere rationem*: hoc, inquam,regimen, vt eſt capitis tui figmentum per ſe abſurdum,veteri Eccleſię inauditum, primis prudentiæ principiis aduerſum,

ſum, vnitatis & pacis exitium, diſcordiarum fomes & pabulum: ita illud non minùs Anglia quàm Roma exhorret, non minùs Proteſtantibus quàm Catholicis inuiſum eſt; nec Puritanis placere poteſt, qui Epiſcopos, quales nunc in Angliâ ſunt, cane peiùs & angue oderunt; nedum quales tu fingis, abſolutos rerum Eccleſiaſticarum dominos laturi ſunt.

Itaque tua, quam duodecim annorum ſtudio excitaſti, Reſpublica, ab omnibus ſectis deſerta, vnum te vt auctorem ſic incolam habet, nec plures videtur te vel viuente vel mortuo ciues habitura; vnà tecum euaneſcet in ventos: nec in eâ ſubruendâ tantum operæ poſuiſſem, niſi mihi tua ſalus quàm illius ruina potior fuiſſet. Non ignoro, te, quò tuam Rempublicam in doctrinæ Catholi-

cæ ruinis erigas, Romani Pontificis Monarchiam pro viribus demoliri: in quem errorem (vt eſt iugi impatiens hominum genus) nimiùm proni mortales ſunt. Nihilominùs à tuis ſcriptis nullum Eccleſiæ Catholicæ periculum impendere cenſeo, nec illud propulſatum venio. Nam volumen tuum mole vaſtum plurimi nec ſemel inſpicient: ex illis qui inſpexerint non pauci, vbi viderint in eo non niſi arguméta vulgaria, trita Patrum teſtimonia confusâ methodo, nullo pondere, numeri tantùm causâ centies repetita conglobari, oculis vix vſurpatum ſtatim abiicient. Quòd ſi quis tædij victor librum tuum à capite ad calcem vſque decurrerit, næ ille mirabitur tot ineptiarum & dictorum inter ſe pugnantium immane chaos, famæ colligendæ causâ velut doctum & eruditum opus, & duodecen-

cennalis puerperij dignum partum, à quopiam mentis compote in lucem proferri potuiſſe.

Ita puniris in quo deliquiſti, dedecus refers vnde gloriam ſperabas. Eccleſiæ Catholicæ ſcriptione tuâ prodes, quâ illi nocere maximè voluiſti. Nam deficiẽs à Catholicâ, nõnullos titulorum tuorum inani granditate commoueras. Primas Dalmatiæ & Croatiæ factus, Proteſtans Proteſtantes ad magnas ſpes vano gaudio erexeras, qui te parem titulis tuis doctrinam tecum ferre arbitrabantur. Et ſanè ſi tacuiſſes, ſapientem te plurimi exiſtimaſſent; nec tam facile fuiſſet Catholicis, opinionem, quam de te illi conceperant, refellere. Verùm ſcripſiſti contrà quàm multi ſuaſerunt: Opus quod tanto hiatu promiſeras, tandem edidiſti; de quo illud tibi audeo promittere, num-

quam Proteſtantes qui ſapiunt gloriaturos eſſe.

In eo enim Reipublicæ tuæ, quam ſtruis, fundamenta omnia ipſemet euertis: Romani Pontificis primatum non ſæpiùs negas, quàm aſſeris: nihil eſt à te contra Pontifices dictum, cui non ſit etiam contradictum: denique non ſemel aut iterùm, ſed toto Opere perpetuò tecum ipſe pugnas mirabili cæcitate, tantâque quanta homini, pręſertim in ſtudiis enutrito, contingere vix videtur, niſi diuinitus incuſsâ caligine, potuiſſe. Nimirum qui deſerit Eccleſiam, ſapientiam deſerit; qui fidẽ Catholicam abiicit, vnà mentem amittit; qui ferocire volunt in petram, ſuper quam Chriſtus po-
Iudę v. 13. ſuit Eccleſiam ſuam, *fluctus feri maris ſunt, qui deſpumant confuſiones ſuas.* Non excutio conſcientiæ tuæ latebras, domeſtica vitæ tuæ dedecora non euul-
go,

go, quæ celare tu cupis: Dei iudicio reſeruentur, qui ſpectante olim mundo *ponet abominationes tuas in medio tui, & pudenda tua in faciem tuam reuelabit*. Confuſiones tuas loquor, quas ipſe loqueris; dedecora, quæ tumet profers in lucem. Scripta tua, quæ famæ comparandæ gratiâ euulgas, hæc dedecora tua ſunt, in his *confuſiones tuas deſpumas*. Quid enim turpius, quàm, quod dixi, à teipſo in tam longâ ſcriptione perpetuò diſſidere; nihil aſſerere vno loco, quod alio vel eodem non neges; nihil negare, quod non affirmes; in rebus omnibus, màximis, minutiſſimis, tibi ipſi contrarium eſſe, atque ita contrarium, vt perfectior contradictio vel magis in terminis ne fingi quidem poſſit? Quid enim (vt verbis, quibus S. Auguſtinus Donatiſtam Epiſcopum compellat, tecum agam) *tam malè exiſtimaſti, non* Lib. 3. contra Petilian. cap. 1.

dicam de Chriſtianis omnibus ſed de toto genere humano, Proteſtantibus non minùs quàm Catholicis, *vt crederes tua ſcripta in manus aliquorum non potuiſſe venire prudentium*, qui hanc fœdam inconſtantiam vanitatemque ſcriptionis tuæ, perpetuam prǽſertim & apertam non aduerterent, contemnerent, exſibilarent? ſperare potuiſti, te tam facilè nomen magni Scriptoris aſſecuturum, ſi ingens volumen edidiſſes, in quo nihil eruditum, nihil elaboratum, nihil exactum ſit, ſed tantùm ex variis Auctoribus corraſę, pugnantes inter ſe, malè cohærenteſque ſententiæ? Ad hæc, opinor, obſtupeſcis. credere non potes te toto libro tuo ita ſemper immemorem tui eſſe. hæc à me fingi putas, quò te deformem, & apud Catholicos Lectores doctrinæ opinionem tibi detraham. Nihil fingo, Antoni, nihil exaggero: non

non Oratoriè ſed Latinè me loqui ſcias; nec verbis ampliùs tecum agam, ſed rebus. *veni, & vide.* In hoc Opere huius immanis inconſtantiæ exempla innumera, clara, perſpicua, illuſtria continentur, quæ te tuis dictis ita conſtringunt, vt numquam poſſis euadere. Tuo diſces exemplo, vel diſcent alij, quam rectè dixerit Magnus Gregorius, *hæreticos dum ſe foris oſtendi ſapientes appetunt, intus per ſtultitiam elationis ſuæ vinculis ligari.* Lib. 8. Moral cap. 2.

Verùm priuſquam Opus ipſum aggredior, de Epiſtolâ tuâ præfatoriâ pauca dicam, quâ Catholicis Epiſcopis teipſum tamquam nouum noſtri ſæculi Chriſtum oſtentas, qui perditam ouem, Catholicam ſcilicet Eccleſiam, *inter ſpinas delictorum noſtrorum latentem*, tuis humeris inuentam afferas, vt numquam ampliùs lateat, *vel ſchiſmate laceretur*. Hac ego Præfatio-

fatione tibi laruam detraham,tuamq́; hypocriſim tamliquidò ob oculos vel tuos vel Lectoris ponã; vt ſi deinceps fallere teipſum pergas, alios diutiùs fallere nequaquam poſſis.Nec minùs eâdem operâ exhibebo tibi paradigma tui ipſius cum teipſo pugnantis, apertiſque contradictionibus tuamet dicta omnia configentis; vt ex hoc proludio coniecturam capias, quàm in ceterâ pugnâ tibiipſi infenſum aduerſarium teipſum habiturus ſis.

HYPOCRISIS MARCI ANTONII DE DOMINIS DETECTA.

IGITVR in Præfatione tuâ virtutes tuas mirè deprædicas, ita teipſum pingis & fingis omnibus verarum laudum coloribus, fidei, Scripturæ ſacræ, doctrinæ Patribus & Conciliis traditæ addictum, Catholicæ Eccleſiæ, diſciplinæ, morum antiquorum vindicem, zelo animarum Chriſti Sanguine redemptarum ardentem, pacis & charitatis amantem, ſchiſmatis & apoſtaſiæ hoſtem, terrenarum rerum omnium (præſertim verò honoris) contemptorem, cedrum odoratam, qui nihil terrenum ſapias, denique ab omni humano affectu odij, inuidiæ, iræ, timoris, cupiditatis, gratiæ, ita alienum, vt vnius veritatis ſtudio tenearis. cuius conſcientiæ tuæ Deum iudicem, &, ſi fallas, vindicem appellas. *Hac mea mens* (inquis) *teſte*

teſte Domino ſincera & pura, Patres ſapientiſſimi, hic ſcopus eſt totius huius Operis & laboris. Hæc tu: ſed fruſtrà es. Catholicis Epiſcopis, quos ſapientiſſimos appellas, qui facta tua norunt, numquam verba dabis. Norunt illud Hilarij: *Sequitur deſertionem fidei hypocriſis mendax, vt ſit in verbis pietas, quam amiſit conſcientia:* non ignorant, hæreticos *omnes tumere, omnes illuminatos ſe dici velle, omnes ſcientiam polliceri*, omnes zelum puræ fidei & diſciplinæ iactare, nec vllos magis, quàm qui vitæ perditiſſimæ ſunt. Audi Gregorium hæreticorum ingenium deſcribentem; conſcientiamque tuam conſule, an non inimicitiarum tuarum erga Summum Pontificem cauſam, multò quàm ſit illa quam tu fingis veriorem, afferat. ita ſcribit: *Peruerſi homines occaſione arreptâ diſciplinam Eccleſiaſticam fugiunt, de ſuis carnalibus actibus reprehendi pertimeſcunt, ſubeſſe Sedis Apoſtolicæ præceptis nolunt; & nos quaſi de fide reprehendunt, quam ipſi neſciunt. & dum neque in fide recti ſunt, neque bonis operibus intenti, ſtudent vt pro fide certare videantur. Sicq́; fit vt quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa groſſeſcit, quæ fieri quaſi de zelo feruoris laudabilis appetit.* Ita Gregorius. Iam zelum tuum iacta quantum velis, Antoni; ouem à Chriſto inuentam, rurſus perditam, in vepribus noſtrorum pecca-

Lib. 10. De Trinit.

Tertullian. Præſcript. cap. 26.

Lib. 7. epiſt. ep. 53. circa med.

cato-

catorum latentem finge te quærere; cùm conſtet, te Eccleſiam toto orbe lucentem ſpinis ſcelerum tuorum velut ſtimulis adactum fugere: certa, vt Eccleſiæ, cuius deſertor es, doctor appareas, vt cùm de ſideribus erranti- Epiſt. Iud. v. 13. bus ſis, *quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum*, de ſtellis fixis eſſe videaris, quæ quòd *ad iuſtitiam erudiant multos, in firma-* Dan. 12, 3. *mento fulgent in perpetuas æternitates*: numquam falles Catholicos, qui dictum hoc Magni Gregorij legunt, qui te futurum ſic præſcripſit, vt iam apoſtatam deſcribere ſi vellet, magis ad viuum ne quidem poſſet. Nec difficile eſt ſimulationem iactantiamque tuam detegere. Quatuor ſimulas. Primò, zelum Catholicæ Eccleſiæ latentis inueniendæ, & omnibus oſtentandæ. Secundò, ſtudium antiquæ doctrinæ & diſciplinæ, à Patribus & Conciliis traditæ. Tertiò, conſcientiam puram, ſinceram, veri amantem, ſimulationis expertem. Quartò, animum ab omni humano affectu iræ, odij, inuidiæ, gloriæ, prorſus alienum. Hæc quatuor à te de teipſo fingi, & contra conſcientiam dici, ſingula ſingulis argumentis euincam.

Dete-

Detegitur Antonij ſimulatio zeli veræ Eccleſiæ inueniendæ.

IN primis quòd zelum inueniendę Eccleſiæ fingas, cùm nullum habeas, hoc indicium ſit, quòd quid quæras non intelligas. Benè enim Gregorius, quem nominaui, ſimulationis hæreticæ indicium ponit, quòd velint docere quod neſciunt. Nec minùs verè alio loco de quibuſdam ſchiſmaticis, *Non ob aliud*, inquit, *ignorantiæ tuæ cæcitate voluuntur, quàm vt peruersè habeant, vt voluerint, viuendi licentiam, quia nec quid defendant, nec quid ſequantur intelligant*. Quid quæris, Antoni? quid ſequeris? Mulierem fortem, inquis, Eccleſiam Catholicam à Chriſto olim inuentam & conſpicuam factam, nunc veſtris peccatis obrutam & tectam, vt paucorum obtutibus ſe exhibeat intuendam. Fingis. ſi negas, Gregorij argumento te conuincam. Nam quę ſit hæc mulier fortis, & quid ſit illam quærere, non intelligis. De muliere forti iam olim à Chriſto inuentâ, nunc à te rurſus inueniendâ, repugnantia ſcribis: vt in Præfatione tuâ videre ſit, non, quod cupis oſtendere, Eccleſiam ambitionis Romanæ ſpinis laceram; ſed, quod minimè velis, orationem ſtultitiæ cum ſeipsâ

Lib. 7. epiſt. ep. 5.

ſeipsâ pugnantis ſentibus implicatam. Sex paucis in verbis hac de re contradictiones habes.

PRIMA CONTRADICTIO: Te nunc Eccleſiam piè quærere velut latentem, & tamen Eccleſiam poſt Chriſtum latentem quærere nefas eſſe. *Ex quo*, inquis, *mulier hac Eccleſia à Chriſto inuenta eſt & deſponſata, quia in eâ confidit cor viri ſui, fortis facta eſt, & omnibus conſpicienda; vt non ſit ampliùs dicendum, Mulierem fortem quis inueniet? ſed, Quis eam non videt?* His verbis oſtendis, Eccleſiam à Chriſto inuentam ampliùs latere non poſſe. ſi quis eam modò non videt, non Eccleſiæ delitеſcentia, ſed illius cæcitas accuſanda eſt. Hæc tu initio Præfationis n. 1. circa finem. at n. 2. ſtatim primâ ſententiâ contrariæ mentis es. Nam dicis hanc mulierem fortem *paulatim ſplendorem & ornatum ſuum amiſiſſe. Amiſſo verò*, inquis, *magnâ ex parte ornatu, rurſus miſerandum in modum delituit, vt iam rurſus noſtro tempore vel maximè non ſine lacrymis dicamus, Mulierem fortem quis inueniet?* Hæc tu: nec fortaſſis adhuc aduertis, quàm confligant inter ſe partes orationis tuæ. Laudas te ipſum, quòd quotidie facias, quod *poſt Chriſtum ampliùs* fieri non oportere dicis: fateris poſt Chriſtum non *ampliùs eſſe dicendum, Mulierem fortem quis inueniet?*

tamen profiteris, hoc *te quotidie non ſine lacrymis dicere.* Denique cùm Chriſtus Eccleſiam *fortem fecerit, & omnibus conſpiciendam*, tu cauſaris eam contra Chriſti promiſſa miſerum in modum, nunc *maximè* (magis quàm tempore veteris Legis) deliteſcere, & paucorum ſe præbere obtutibus intuendam: vt præterea te velut nouum Chriſtum admittere debeamus, qui ſcilicet eam inuenturus es, & toto orbe conſpicuam redditurus. Quod quia non facimus, ploras. Lacrymæ tuæ, Antoni, non charitatis, non zeli, ſed ſuperbiæ, ſed ſtultitiæ ſunt: nec illis oculos mentis tuæ abluis, ſed excæcas. Eccleſiam Catholicam velut egenam, ſuo ornatu ſpoliatam, velut nudam inter ſpinas miſerandam latere defles, cùm magis fletu di-
Apoc. 3, 17. gnus ipſe ſis; qui *dicis, Diues ſum, & locupletatus, & nullius egeo* (ceterâ Eccleſiâ egente) *& neſcis quia* non Eccleſia, ſed tu, qui illius gloriam non intelligis, ſed ab eâ velut à miſerâ fugis, *miſer & miſerabilis es, & pauper, & cæcus, & nudus.*

Secunda contradictio: Eccleſiam non poſſe abſcondi, & tamen reipsâ abſcondi, vnâ eademque ſententiâ dicis. *Fuit*, inquis n. 2. *Eccleſia noſtra aliquando, fuit* ciui-
Matth. 5. tas *à Chriſto* ſuper montem poſita, quæ abſcondi non poteſt, &c. *At ab Epiſcopis deſtituta,*

tuta, ne dicam profanata, ne robur amiſit & decorem, nuncq; quaſi abſconditus factus eſt vultus eius. & n. 3. *Hæc ciuitas ſupra montem poſita, lacrymabile paſſa eſt incendium, inter rudera & ruinas, inter cinerem multum & fauillam, paucorum ſe obtutibus exhibet intuendam*. Ita vaſtatam & perditam Eccleſiam ploras, & interim tuamet dicta contradictionibus vaſtas & perdis. Nam quanta inſcitia, velut abſconditum lugere, quod dicis abſcondi non poſſe? Si putas reipsâ abſcondi quod abſcondi non poteſt, cur non putes corrumpi incorruptibilia, mori immortalia, perire æterna, fieri quæ fieri nullo modo poſſunt? Diſcute paulisper fumum, quem menti tuæ non Eccleſiæ quod fingis incendium, ſed Romani Pontificis quo flagras odium obiicit; iam te neſcire quid dicas, non intelligere quid quæras, ipſemet ſenties. Quid enim quæris? Eccleſiam Chriſti (inquis) latentem. Deliras. Eccleſia Chriſti latens apud Chriſtianos, termini pugnantes ſunt, qui ſe mutuò deſtruunt. Si lateat, non eſt Eccleſia Chriſti: ſi ſit Eccleſia Chriſti, iam non latet. Nam audi. Latens Chriſti Eccleſia vel in monte eſt, vel non eſt. Si non eſt in monte, non eſt in Chriſto, nec Eccleſia Chriſti. Si ſit in monte, iam niſi Chriſtus ipſe mentiatur, non poteſt abſcon-

Iſaiæ 53.

di: *Ipſe paſtor*, inquis, *mons eſt; ouis in humeris* Serm. 218 *paſtoris, ciuitas eſt in monte.* Recte hoc ex Au- De Temp. guſtino. Chriſtus ipſe mons eſt: igitur Eccleſia quæ non eſt in monte, non eſt in Chriſto, Chriſto non innititur, Chriſto non credit. At fuit olim in Chriſto: igitur vel nunc eſt in Chriſto, vel à Chriſto defecit, euanuit, & periit. Quæ quanta blaſphemia eſt! Igitur hoc conſtat, Eccleſiam, quæ Chriſti eſt, in Chriſto eſſe; Eccleſiam verò quæ in Chriſto eſt, in monte eſſe; denique Eccleſiam quæ in monte eſt, conſpicuam eſſe, cùm Mons ipſe dicat, *mons qui non commouebitur*, veritas æterna quæ non fallit, ciuitatem in monte poſitam non poſſe abſcondi. Quid tu latentem quæris Eccleſiam Chriſti, id eſt, ciuitatem in monte abſconditam? Tenebræ quas cauſaris, non illius ſed tuæ ſunt: non illa latens, ſed tu cæcus es. Aperi oculos quos ſpontè claudis, in illos ſtatim incurret.

TERTIA CONTRADICTIO: Dicis, Eccleſiam Auguſtini ſæculo floruiſſe toto orbe conſpicuam, & Chryſoſtomi ſæculo latuiſſe, & fuiſſe propemodum extinctam. Nam vt probes Eccleſiam fuiſſe olim glo- Serm. 218. rioſam, citas hæc verba Auguſtini: *Quis* De Temp. *non videt eam à Chriſto inuentam, iam conſpicuam, iam ornatam, iam lucidam, & vt citò explicem, toto terrarum orbe diffuſam?* At

 362

fuiſſe poſtmodum incenſam & vaſtatam, Chryſoſtomum n. 3. teſtem adducis. *Graue huius ciuitatis incendium* (inquis) *vbi pluribus deſcripſit aureâ ſuâ eloquentiâ vir diuinus Chryſoſtomus, exclamat tandem his verbis: O rem lacrymis dignam! nam omnia iſta incendit vanæ gloriæ tyrannis, flamma illa nihil non vorans: omnia corripuit ignis, omnia ſubuerſa ſunt & vaſtata. Honores ab hominibus quærimus, & gloriæ deſiderio accendimur.* Hæc ex Chryſoſtomo. Iam expende iſta, & confer inter ſe, & vide an cohæreant. Inprimis quære, quo ſæculo vixit Auguſtinus? certè eodem prorſus quo Chryſoſtomus, eiſdemque eiuſdem ſæculi annis, niſi quòd Auguſtinus aliquantiſper ſuperſtes Chryſoſtomo fuit. Igitur quomodo verè vidit Eccleſiam Auguſtinus eminentem, glorioſam, ornatam, lucidam, toto orbe conſpicuam; ſi verè deplorauit eam Chryſoſtomus ſuo ſæculo euerſam, vaſtatam, ad paucitatem redactam? Vel teſtes tui pugnant inter ſe, nec idonei ſunt, vel tu tecum & cum ipſis pugnas, & accuſator ineptus es. Hoc autem poſterius, verius eſt: neque enim vaſtatio Eccleſiæ, quam deplorat Chryſoſtomus, pugnat cum eiuſdem gloriâ, quam demiratur Auguſtinus. Eccleſiam in hac vitâ numquam laudauit Auguſtinus tam beatam, in quâ non

Homil. 10. in Epiſt. ad Epheſ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

eſſet vanæ gloriæ peſtis, ambitûs tyrannis, hoc eſt, plurimi improbi, peruerſi, ambitioſi, carnales: neque vmquam deplorauit Chryſoſtomus tam miſeram, in quâ non eſſet vera fides, doctrinæ ſalutaris prædicatio, ſanctificantia Sacramenta, pœnitentium perpetua recôciliatio, infidelium quotidiana conuerſio, denique plurimi boni malis immixti illuſtriſſimæ ſanctitatis. Quòd ſi Chryſoſtomus & Auguſtinus conſentiant, tu multis difficultatibus implicaris: imprimis ſtatim apparet, te nec Patres intelligere nec teipſum, cùm gloriam Eccleſiæ, quam miratur Auguſtinus, periiſſe dicis incendio, quam deplorat Chryſoſtomus. Secundò apparet, te ex ambitione noſtrorum Prælatorum ineptè concludere deliteſcentiam Eccleſiæ noſtræ. Nam ſi potuit Eccleſia Chryſoſtomi ſæculo eminens eſſe, & lucida, & ornata, & toto orbe diffuſa, quamuis Catholicos Præſules vel omnes vel plurimos vanæ gloriæ peſtis vaſtaret, & *omnia flamma illa ambitionis nihil non vorans corriperet*: cur Romana Eccleſia noſtro ſæculo non etiam eminens, lucida, Catholica ſit, quamuis noſtri Prælati, vt tu dicis, honores ſequantur, ambitioni ſtudeant, vanitatibus indulgeant. Tertiò apparet, quàm tu toto cælo erres in inquiſitione tuâ: quæris enim Eccleſiam de

quâ

 363
quâ nullus Chryſoſtomus queratur, hoc eſt, qualem nullus Auguſtinus inuenit. Túne inuenies? Magna ſtultitia! Fugis ambitionis incendium in Romanâ Eccleſiâ, quod vbique eſt. Extra Romanam quæris Eccleſiam nullâ vanæ gloriæ fuligine denigratam; quæ ſi non eſt, nuſquam eſt. Nobis exhibere vis Eccleſiam, in quâ de malis nullus gemat, quæ in hoc ſæculo nec eſt nec eſſe poteſt. Sanè ſi te deprauatos noſtrorũ mores vel olim fleuiſſe, vel nuper fugiſſe crederem, ignorantiam tuam multis inſtruerem: bonos à malis in hac vitâ moribus, non regionibus eſſe diſcretos; nec à peccatorum ſocietate corpus, ſed ab eorum peccatis mentem ſubtrahi oportere. Ardet, inquis, ambitione Roma: hoc incendiũ time. Sed ſplendet fide: in hac luce exulta. Romani Prælati, te cenſore, ambitioſi, mundani, carnales ſunt, ſi verum dicis: ſecundùm opera eorum facere noli. Sed ipſimet peccata, quæ faciunt, fugienda imò deteſtanda docent: quod dicunt, operare, & viues. In Eccleſiâ Romanâ improbi, peruerſi, peſſimi ingenti numero ſunt: ab hac multitudine morum diuerſitate diſcede. Sed Romana fides vna eademque toto orbe diffunditur: hanc vniuerſitatem diuersâ profeſſione ne deſere. Fides imitanda eſt omnium, vita paucorum. Tibi noſtros

Prælatos accuſanti dicerem illud Auguſtini: *Paleas noſtras nobiſcum copioſiſſimè accuſa, ſed ferre etiam nobiſcum patientiſſimè ne recuſa.* Te caſtam Eccleſiam, nullaque labe fœdatam ſuſpirantem, eiuſdem Auguſtini verbis monerem: *Si ſola frumenta deſideras, geme in labore agri, gaude in ſpe horrei, tolera malos in communione Sacramentorũ Chriſti; ne ante littoris tempus retia dirumpendo, fias quod tolerare noluiſti.* Hæc tibi reſponderem, ſi tu peccata noſtra fugiſſes: Sed iam, quoniam multò verius eſt in illis te eſſe, qui *fugiunt Apoſtolicam Sedem, quia de carnalibus actibus reprehendi pertimeſcunt*; nec Eccleſiam noſtram deſeris quia mali in eâ ſunt, ſed quia in eâ pro voto malus eſſe non potes: illud te moneo, ne nimiùm iactes, te Salomonis illud; *Mulierem fortem quis inueniet*, quotidie nec ſine lacrymis dicere, ne dictum quod in ſpiritu qui viuificat, non intelligis, ſecundùm litteram quæ occidit vſurpare videaris.

Lib. 2. contra Parm. c. 15.

Lib. 3. contra Creſcon. c. 31.

QVARTA CONTRADICTIO: Tria dicis, quæ ſimul conſiſtere non poſſunt. Primò dicis n. 3. mulierem fortem, id eſt Eccleſiam Chriſti, *non eſſe funditus deletam*, quamuis *lateat & à paucis videatur*. Secundò dicis, Eccleſiam quæ non ſit vna, non eſſe mulierem fortem, id eſt Catholicam. *Mulier*, inquis n. 4. *hæc fortis eſt: ſi verò fortis non ſit, Catholica non eſt.*

eſt. Fortis verò eſt, quia vna, quia magna, & toto orbe diffuſa. Tertiò dicis n. 3. *noſtra terrena penitus conſilia effeciſſe, vt fœdis ſchiſmatibus ipſa Eccleſia Chriſti in fragmenta penè innumerabilia ſit conſciſſa.* Hæc pugnant inter ſe. Inprimis, Quomodo mulier fortis non periit, hoc eſt, Eccleſia Catholica funditus deleta non eſt, ſi ſit in fragmenta innumerabilia conſciſſa? Nam ſi verum ſit (vt eſt veriſſimum) quod dicis, ſi fortis non eſt, Catholica non eſt; fortis autem non eſt, niſi vna ſit: quomodo Eccleſia Catholica non periit, ſi Eccleſia vna periit? vel quomodo Eccleſia vna non periit, ſi quæ priùs vna fuit, ſit, vt tu dicis, in fragmenta innumerabilia conſciſſa, ex quibus quodlibet Eccleſia vera ſit? Secundò, Quæ eſt Eccleſia illa vel mulier fortis, quam dicis à paucis videri? Vel intelligis Eccleſiam vnam Catholicam, toto orbe diffuſam: vel Eccleſiam Chriſti, quam dicis multiplicem, in fruſta diuiſam. Vna Chriſti Catholica à paucis videri non poteſt: quia quod non eſt, videri non poteſt, ne à paucis quidem. Eccleſia verò Chriſti in mundo vna Catholica nulla eſt, ſi tibi credimus, qui veram Eccleſiam ſciſſam in plures veras Eccleſias dicis. Igitur vnam Chriſti Catholicam ſi dicis à paucis videri, tibi ipſe repugnantia dicis. Si dicas, Eccleſiam, quæ latet & à paucis vide-

tur, non eſſe vnam Eccleſiam Catholicam, ſed Eccleſiam ſectam in fruſta innumerabilia & ſchiſmata; quid ineptius, quàm dicere hanc à paucis videri? Quomodo enim Eccleſia Chriſti ſciſſa à paucis videri dici poteſt, cùm nemo non videat, eos qui Chriſti nomen habent, in varias ſectas & opiniones eſſe diuiſos? Quæ eſt igitur hæc mulier fortis, hæc ciuitas in monte poſita, quæ à paucis videatur? Figmentum eſt. Iterùm enim à te peto, quæ ſit hæc mulier fortis, quæ modò quidem eſt, ſed à paucis videtur. An intelligis mulierem fortem quæ modò fortis eſt? At hæc non eſt. nam dicis, mulierem, quam quæris, olim fortem fuiſſe, nunc infirmam factam eſſe, robur ſuum amiſiſſe. Quomodo igitur mulier, quæ nunc dierum fortis eſt, à paucis videtur; ſi mulier quæ modò fortis ſit, in mundo nulla ſit? Imò ſi mulier fortis ſit, vt dicis, Eccleſia toto orbe diffuſa, quomodo mulier fortis, ſi nunc fortis ſit, à paucis nunc videtur; quæ ſi fortis eſt, vbique eſt? Si dicas, te velle oſtendere mulierem fortem, non quæ modò fortis ſit, ſed quæ olim fortis fuit, nunc verò infirma, ſciſſa, miſera ſit; quomodo hæc miſera Eccleſia à paucis videtur, cuius miſeria omnibus videtur? Quid opus eſt demonſtratore, vt videamus quod nimiùm apparet, quod nemo non videt, te præſertim,

qui

qui verba fundis de muliere forti, quibus ſolidæ veritatis & ſanæ mentis nihil ſubſit. Deinde lib.4.c.2.n.25. dicis, Eccleſiam vniuerſalem eſſe radicem & ſolem particularium, à quâ ſi ſeparentur, quamlibet particularium ſtatim exareſcere, & in tenebras verti. Iam quæro, Vniuerſalis Eccleſia vel in mundo eſt, vel in mundo non eſt? Si non eſt in mundo, ſole extincto omnes ſimul radij euanuerunt: nulla in mundo ne quidem particularis Chriſti Eccleſia eſt. Si ſit in mundo, quæro, An omnia fragmenta membra illius ſunt, vel non omnia fragmenta membra illius ſunt, ſed aliqua ex ipſis tantùm, vel nullum prorſus ex fragmentis membrum illius eſt? Quidquid autem dicas, ſemper tibi ipſi contrarius es. Si dicas, nullum prorſus ex innumerabilibus fragmentis Eccleſiæ vniuerſalis membrum eſſe, iam omnes Eccleſiæ Chriſtianæ exaruerunt, & falſum eſt quod dicis, *Eccleſiam funditus deletam non eſſe.* Si dicas, omnia fragmenta membra vniuerſalis eſſe, iam vera Chriſti Eccleſia erit integrum corpus ex variis membris; & falſum eſt quod dicis, veram Chriſti Eccleſiam *in partes innumerabiles ſciſſam eſſe.* Denique ſi dicas, non omnia quidem, ſed aliqua fragmenta eſſe membra Eccleſiæ vniuerſalis, & illi adhærere, & de eâ viuere; iam Eccleſia vniuerſalis ex illis Chriſtianis

ſtianis & Catholicis Eccleſiis, reliquis excluſis, tota conſtabit, & falſum eſt quod dicis n. 4. Eccleſiam Chriſti, præciſis ab eâ per ſchiſma aliquot regionibus, in reſiduis vniuerſalem & Catholicam eſſe non poſſe. Vbique perplexus es: nec vlli mortalium videtur hæc mulier fortis ignotior eſſe quàm tibi, qui præ ceteris omnibus te illius inuentorem eſſe gloriaris.

QVINTA CONTRADICTIO: Dicis, nos noſtris vanitatibus Chriſti prædictionem de vniuerſalitate Eccleſiæ mendacem facere, & tamen Chriſti prædictionem effectum habere. *Nos*, inquis n. 4. *noſtris diſſenſionibus & vnitatem ſoluimus, & reſtinguimus vnitatem, & Chriſtum ipſum noſtris vanitatibus mendacem facimus. An non eſt veritatis verbum, Eccleſiam ipſius dilatandam fuiſſe à Ieruſalem vſque ad extremum terræ? Prædictum eſt hoc à Chriſto: prædictio habuit effectum vſque ad finem ſæculi duraturam.* Hæc tu: quæ pugnant inter ſe. Nam ſi nos Chriſtum noſtris peccatis & vanitatibus mendacem facimus in prædictione ſuâ, quomodo prædictio illius effectum habuit, & habet, & ſemper habitura eſt? Et econtrà, ſi noſtris vanitatibus nihil officientibus, Chriſti prædictio effectum habet; quomodo nos Chriſtum noſtris vanitatibus mendacem facimus? Vel quæ maior

Act. 1.

vani-

vanitas,imò blaſphemia,quàm dicere,Chriſtum vanitate & faſtu hominum mendacem fieri poſſe? Quamquam quòd dicis,ex Chriſti promiſſione Eccleſiam ſemper futuram vſque ad finem ſæculi dilatatam à Ieruſalem vſque ad extremum terræ,vide ne Chriſtum tuis vanitatibus mendacem facias, id eſt talem ſenſum verbis Chriſti tribuas qui falſus ſit. Nam quando fuit Eccleſia Chriſti per vniuerſum penitus orbem ita dilatata,vt non fuerint vaſtæ regiones à Chriſti fide alienæ? Quot ſæculis Indiæ vel Orientales vel Occidentales, vaſta illa terrarum ſpatia, Chriſtum penitus ignorarunt; & tamen Chriſti Eccleſia Catholica & vniuerſalis fuit? Quòd ſi Eccleſia, Catholica & vniuerſalis non ſit, niſi quæ per omnes prorſus regiones diffuſa ſit; certè regio Chriſtiana, cùm ſit hæretica, non ſe ab Eccleſiâ vniuerſali ſepararet, ſed ſuâ ſeparatione Eccleſiam vniuerſalem deſtrueret. Si Auguſtinum legiſſes, certè vidiſſes Eccleſiam Catholicam & vniuerſalem dici, non quia vno ſæculo, nedú quia ſemper omnibus ſæculis per omnes terræ regiones diffuſa ſit; ſed quòd vna eademque variis ſæculis & temporibus ad omnes regiones vel ſe extenderit, vel ſe tandem extenſura ſit. Et hæc eſt Catholica Eccleſia, quæ ab Apoſtolis orta, paulatim & ſucceſſiuè orbem occu-

pat, quæ vbique ramos ſuos iam vel extendit, vel tandem extendet: à quâ quiſquis ſe ſeparat, ſchiſmaticus eſt, de Eccleſiâ Chriſti non eſt, ſtatim exareſcat neceſſe eſt. qualem Eccleſiam, vbi à Romanâ diſceſſeris, nullam inuenies.

Hoc patebit manifeſtè ex ſextâ contradictione tuâ, quæ eſt, te laborare vt eiuſdem fidei omnes ſimus, & tamen velle vt omnes prorſus ſectas in Catholicam admittamus. Nam num. 7. Deum teſtem aduocas, *ſcopum Operis tui eſſe, vt compoſitis diſſidiis vnum ſentiamus & dicamus omnes*: at n. 4. *Chriſtus*, inquis, *non ſolùm prædicatur vbi Roma nunc dominatur; ſed paſſim in Oriente aliiſq; multis & magnis regionibus Romæ non ſubditis, vbi Baptiſma in nomine ſanctæ Trinitatis confertur. Hæc eſt mulier fortis.* Hæc tu, nimirum vis nos agnoſcere mulierem fortem, id eſt Eccleſiam Catholicam, quæ conſtet ex omnibus ſectis, quæ Baptiſma conferunt in nomine ſanctæ Trinitatis. Quo non obſtante, vis etiam nos vnum & idem dicere & ſentire omnes. hoc autem quî fieri poteſt, cùm ſectas varias doctrinaſque maximè contrarias hæc baptizantium in nomine Trinitatis turba contineat? Deinde ſi, quod dicis, Eccleſia fortis eſt, *quia vna, quia magna, & toto orbe diffuſa*; quomodo hæc turba omnium baptizan-

zan-

zantium & baptizatorum mulier fortis ſit, quæ non magna fidei vnitas, ſed magna errorum colluuies eſt toto orbe diffuſa? Sanè Baptiſma conferunt in nomine Trinitatis, Patris & Filij & Spiritus ſancti, Caluiniani, Anabaptiſtæ, Eutychiani, Neſtoriani, Macedoniani, Monothelitæ, Pelagiani, denique nunc dierum prorſus omnes hęretici. *Hæc eſt*, inquis, *mulier illa fortis*, quam Salomon expetiit, cùm dixit; *Mulierem fortem quis inueniet?* Itáne, Antoni? quàm verè prouerbium, Difficile eſt amare & ſapere. Amas hanc mulierem, hanc ſectarũ confuſionem, & ideò tibi bella & pulchra apparet, quamuis turpiſſima ſit. Nam ſi tot ſectarum colluuies ſit mulier illa fortis, illa conſtans, illa ſibi vbique ſimilis & vna: quæ tandem erit illa mulier non minùs eodem libro à Salomone prædicta *garrula, & vaga, & quietis impatiẽs, nec valens in domo conſiſtere, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians?* Prou. 7,11
Hæc tua mulier baptizans & baptizata in nomine Trinitatis, nónne garrula eſt, quæ omnium quæ ſunt in mundo ſub nomine Chriſtiano ſectarum linguis loquitur? Nónne vaga eſt, quæ ſe per tam varias hæreſes nationum omnium conſentiendi libidine effundit? Nónne quietis impatiens eſt, quæ ſuos quotidie mutat errores, nouaque dogmata,

mata, quibus Chriſtiani in partes diſſecentur, excogitat? Annon hæc illa eſt, quæ non valet in domo conſiſtere, quæ nunc in hac nunc in illâ ſectâ deſerit Eccleſiam, quæ eſt domus Dei, columna ac firmamentum veritatis? Quæ nunc *foris* in hæreticorum ſynagogis, nunc *intus* in Eccleſiâ ipsâ, vel *in plateis* Catholicarum ciuitatum publicè vel clanculùm & in angulis, vbi metuit agnoſci, animabus inſidiatur? Hæcne mulier fortis, quæ de Deo tam damnata, tam impia & varia credit? Sanè quoniam adeò tibi placet, vt eam quotidie non ſine lacrymis ſuſpires, me non repugnante tibi nubat digna coniux te marito. Nam vt illa vbique eſt inter ſe pugnantia credens & ſentiens, ita tu inter ſe pugnantiſſima vbique loqueris & ſcribis. Hoc iam oſtendi ſex exemplis in hac tuâ diſputatione de muliere forti. Quibus aliud addo, quòd nunc Eccleſiæ Catholicæ fines extendas ad baptizantes in nomine ſanctæ Trinitatis, qui toties eos alibi reſtringis ad *credentes eſſentialibus Fidei ſymbolis*. Quis autem neſcit, multos baptizare in nomine ſanctæ Trinitatis, qui ſymbola Fidei à Conciliis generalibus approbata non admittunt? Quis Neſtorianos, Eutychianos, Monothelitas dicat ſuos non verè tingere in nomine SS. Trinitatis, qui tamen Chriſtum verum Deum

& ho-

& hominem in vnâ perſonâ ſubſiſtere contra Fidei principia negant.
Igitur ſi, quod ait Gregorius, indicium ficti zeli ſit, docere velle quod neſcias, hypocriſis hæreticæ conuictum te tenemus, qui in Eccleſiâ quærendâ & inueniendâ ducem te ceteris offers, cùm nec viam ſcias, nec quid ſequaris intelligas. Hinc inde vagaris, & ſemper in teipſum incurris: contraria & inter ſe confligentia ſcribis, & à Catholicæ Eccleſiæ naturâ aliena, quæ de muliere fatuâ, quæ ſit in concauo lunæ, accommodatiùs quàm de muliere forti, quæ ſit Chriſti ſponſa, dicerentur. Quare ſi ſapis, ad Eccleſiam Romanam redi, quæ mulier fortis eſt, quia vna, quia magna, & toto orbe diffuſa. Magna eſt, quæ per orbem *ramos copiâ vbertatis extendit*, ex quibus vt nonnulli ſchiſmatici præciſi exaruerunt, ita quotidie noui perenni fecunditate ſuccreſcunt: nec deſinet fructificare indies & porrigere *propagines ſuas*, donec ſucceſſiuâ eiuſdem Chriſtianitatis amplitudine orbem complectatur vniuerſum. Vna eſt, quæ vbique eamdem fidem vno corde credit, eamdem doctrinâ vno ore prædicat, eadem præcepta vnâ obedientiâ obſeruat, eiſdem Sacramentis filios ſuos vnâ charitate ſanctificat, eodem Sacrificio Deum vnâ religione veneratur. Hac Eccleſiâ deſertâ, non

inuenies Eccleſiam vnam, niſi in vnius inſulæ, quid dico inſulæ? ciuitatulæ anguſtiis te compingas. Non inuenies Eccleſiam magnam, niſi in omnium ſectarum vaſtum mare te mergas, imò ſubmergas in profundo variarum hæreſum, quæ baptizant omnes in nomine Trinitatis. Nam Eccleſiam ex damnatiſſimarum hæreſum pace & mutuà tolleratione compoſitam fruſtrà quæris, cùm ſit illud Ambroſij certiſſimum: *Alienus eſt à numero fidelium, & à ſorte Sanctorum, qui in aliquo à Catholicâ veritate diſſentit.* nec minùs certum illud Chryſoſtomi: *Inter hæreticos & Chriſtianos pax eſſe non poteſt.*

Lib. 10. Epiſt. 84.

Homil 45. in Matth.

Detegitur Antonij ſimulatum ſtudium doctrinæ & diſciplinæ antiquæ.

SECVNDO iactas affectum te magnum habere in SS. Patres, *ab ijs vniuerſis ne latum quidem vnguem te velle diſcedere.* Tua ſcripta his ſolis & ſacræ Scripturæ inniti, Dei nomine inuocato ita iuras Præfat. n. 5. *Deum immortalem teſtem, iudicem, vindicem aduoco, me non gloriolæ cupiditate,* &c. *curuam mihi prauamq́ ex ingenio meo regulam huic erigendæ machinæ confinxiſſe; ſed antiquiſſimam, certiſſimam, Deo hominibuſq́ probatam ſecutum eſſe, hoc eſt ſolius diuinæ Scripturæ ſanctorumq́ noſtrorum*

ſtrorum Patrum, priſcorum Conciliorum & ſacrorum Canonum rectiſſimis lineis innixum, molem hanc totam ædificaſſe. Cuius propugnacula ſingula quàm potui puro ex his ſolis effoſſo argento compacta & ferruminata vndequaque ſolidaui. Ita tu. Verba fundis in ventos. Falleris enim, ſi putes Catholicos, præſertim Epiſcopos, tám ſimplices, imò mente deſtitútos eſſe poſſe, qui hæreticorum iuramentis moueantur, quorum perfidiam Patrum teſtimoniis per ora Chriſtianorum traductam & oſtenſam habent. *Hi ſunt aduerſarij & inſidiatores Eccleſiæ, qui corrumpunt gregem, fœdant hereditatem, ſapientiæ ſimulatores, & toti improbi, de quibus aiebat Salomon: Qui ſunt impij, ſimulant ſe pios eſſe.* Iuret quantum volet hæreticus, potiùs audietur Ambroſius illi iuranti obſtrepens: *Conticeſcat perfidia, quæ tramitem veritatis tenere non nouit, quæ Dei præcepta non ſeruat. Cur enim per os tuum aſſumis Euangelium veritatis, in cuius ore veritas non eſt, cuius lingua concinnat dolos? nam qui mendacium loquitur, dolum vtique nectit aſſertis.* Quòd fingis & dolos nectas, inde colligitur, quòd verbis facta contraria ſunt. Iuras te *Patrũ rectiſſimis lineis inniti*, cùm nihil aliud toto libro coneris, quàm verba Patrum à vero ſenſu torquere, & (vt phraſi Ambroſij vtar) *ſæuâ interpretatione lacerare*: vt non

Clemens De Conſt. Apoſtol. lib. 6. c. 18.

Serm. 11. in Pſal. 118

modò conſcientiâ te carere appareat, ſed etiam fronte, imò, quod audies illubentiùs, mente. Ita enim improuidè & tui immemor Patrum dicta interpretaris, vt dum apertæ veritati vim cupis afferre, tecum etiam ipſe pugnes. In quæſtionibus de Primatu tam Petri, quàm Romani Pontificis, hoc te facere, plurima in hoc Opere adduco exempla clariſſima, quæ non hîc repeto, ſed alia noua addo circa cælibatum ſacris Ordinibus annexum: Hanc tu controuerſiam lib. 2. cap. 10. n. 11. & 12. fusè diſputas, quam tamē in reſponſiòne meâ omiſi, quòd ad controuerſiam de primatu Eccleſiaſtico non pertineret. Nunc breuiter controuerſiam ipſam & incōſtantiam tuam vnà explicabo. Duo ſunt controuerſa. Primò, An Clerici poſt ſacros Ordines licitè vxores ducant, vel coniugati ante Ordines, poſt Ordines licitè vxoribus vtantur? Secundò, An qui poſt ſacrum Ordinem aut votum ſolemne vxores ducant, validè ducant? In his quæſtionibus miſerè perplexus es, dum certiſſimas Patrum ſententias ad libidinem, quâ ferè laborant apoſtatæ trahere cupis.

Para-

Paradigma Antonij, cum Patribus & ſe-ipſo pugnantis in quæſtione, An cælibatus ſacris Ordinibus præcepto Apoſtolico coannexus ſit.

IN hac quæſtione ſex adferam exempla, quæ conuincant te contra iam præſtitum iuramentum Patrum dicta violenter torquere, & cùm explicare non potes, Patres ſingulos & vniuerſos apertè deſerere.

PRIMVM EXEMPLVM.

Statim ac veneras in Angliam, præcipuè in quæſtione, An poſt ſacros Ordines licitè nubatur, velut in luto diu hæſiſti. Difficultas inde orta eſt, quòd Clerus Anglicanus, quem tu ſacrum vel putas vel negare non audes, poſt ſuos Ordines vxores ducit, non ſolùm inferiores Miniſtri, ſed & Epiſcopi, imò nonnulli bigami vel etiam trigami fiant. Hæc ſi tamquam Chriſtiani nominis probra & portenta cunctis Chriſtianis ſæculis hactenus inuiſa, prout illa eſſe noras, damnauiſſes, ſciebas tibi locum in Angliâ non futurum; numquam ſtipem, quâ ſolâ initio victitabas, tibi Epiſcopi contuliſſent. Ex aliâ parte contra Patrum om-

nium torrentem niti, qui Clericos vxoratos damnant; contra tot in eos à Conciliis acriter dicta & decreta, velut contra ſtimulum calcitrare durum tibi videbatur, nec te libenter in has difficultates ingerebas. Nam quod ad priuatum coniugium tuum attinebat, non eras valdè ſollicitus: modum prouideras, vt & vxore poſſes gaudere, ſi velles, & tamen à noſtris accuſationibus tutus eſſe. Poteras enim conſilium quod lib. 2. c. 11. n. 54. noſtris Sacerdotibus das, ipſemet ſequi; quod an ſecutus ſis, neſcio: nimirum vt *clàm & prudenter, cum benedictione Domini matrimonia ineant*, ita vt ſua coniugia ſuaſque vxores à Catholicis Epiſcopis celatas habeant, quos reclamaturos norunt. Itaque pro te ipſo ſecurum Anglicani Cleri, qui palàm ducit vxores, te conſuetudo perplexum reddebat, nec exitum inueniebas. Illorum conſuetudinem, quã ſciebas antiquitati repugnare toti, à quâ iuras numquam diſcedere, ſi damnabas, ſtipendio excidebas; ſi approbabas, periurium incurrebas; imò, quod periurio magis horres, dedecus, ſi tam apertè contra iuratam fidem antiquis Patribus repugnares. Quid plura? tandem Deum offendendi metum, metus ſtipis amittendæ vicit: potiùs periurium, quàm paupertatem eligis; omnibus SS. Patribus, quàm Angli-

canis

canis Epiſcopis diſplicere mauis; Anglicanam conſuetudinem, quamuis eam tota damnet antiquitas, approbas. Hæc vera eſſe noſti. tamen ex tuis dictis probanda ſunt, vt videant vniuerſi,& eos hoc videre tu videas, quàm ſit falſum quòd iuras,te in libro tuo à *Patrum & Conciliorum regulis & lineis ne latum quidem vnguem diſceßiſſe*. Antiquitatis totius ſenſum cap.10.n.73.ita explicas: *Si leges Eccleſiaſticas*, inquis,*totius Eccleſiæ vniuerſalis antiquas, nec non antiquum vſum earum tam Occidentis quàm Orientis ſpectes, nemini in ſacris Ordinibus à Subdiaconatu & ſupra conſtituto licet vxorem ducere, ſi ſit in gradu Eccleſiaſtico retinendus. Id enim conſtanter ſeruauit & ſeruat Eccleſia vniuerſalis Græca pariter & Latina.* & num.29. *Citra controuerſiam eſt*, inquis, *quod Eccleſia Græca neque diffitetur neque ſeruare reſpuit, videlicet, nemini in ſacris Ordinibus iam conſtituto licere vxorem ducere, ſi quis cælebs tales ſuſceperit Ordines, etiam incluſo Subdiaconatu. Hanc eſſe veterem Eccleſiæ conſuetudinem & traditionem, ſupponit Paphnutius in Concilio primo Nicano: & Hieronymus abſurdum ſupponit & inimitabile, ſi noſtri Pontifices vxores etiam virgines ducerent, vt Leuiticis Sacerdotibus licebat.* & n.30. *Hieronymus ſuo tempore vt notiſsimum ſupponit, non poſſe eſſe Epiſcopum,*

pum, qui in Epiſcopatu filios faciat, alioquin vt adulterum damnandum. De Epiſcoporum igitur continentiâ non videtur nunc amplius contendendum, quia cum Græcis conuenimus, & Græci nobiſcum conueniunt & obſeruant. Hæc tu: quibus Epiſcopos Anglicanos configis, non modò vxoribus vtentes poſt Epiſcopatum, ſed etiam vxores ducentes contra totius Eccleſiæ vniuerſalis leges, & perpetuam praxim. Nimis hæc audacter. caue, ne tuum tibi ſtipendium negent. Minimè, inquies: nam propterea ſtatim poſt verba citata addo: *Hoc tamen etiam inferiùs rurſus incudi reddemus.* Agnoſco hæc tua verba, quæ niſi fallor, in tuum librum, poſtquam veniſſes in Angliam, inſeruiſti. Nam Venetiis, opinor, nuptias Epiſcoporum poſt Epiſcopatum abſolutè damnaueras, vel quia Græciam tunc potiùs quàm Angliam cogitabas; vel quia vxorari poſſe in Angliâ iam Epiſcopos neſciebas; vel quia Primas tuâ opinione doctiſſimus, Anglos Epiſcopos, quos faciles & flexibiles, nec tibi pares putabas, in tuam ſententiam te pertracturum ſperabas; vel denique quia ſaltem non dubitabas, quin Anglicani Epiſcopi te tantum virum, quamuis eorum nuptias damnantem, in tuo ſenſu abundare permitterent. Vix veniſti in Angliam, cùm te falſum vidiſti: canere palinodiam,

 372

diam, Epiſcoporum nuptias approbare te oportet, vel Angliâ exulare, & interim in cuſtodiâ quadam honorariâ ſub Cantuarienſi detineri. Dura neceſſitas! Diu contrà luctatus, tandem, quâ lubentiâ ciuitas obſeſſa, cùm iam reſiſtere ampliùs non poteſt, iugum accipit, cedis Epiſcopis Anglicanis. victumque te clarâ voce confitens dicis: *Hæc inferiùs rurſum reddam incudi.* quaſi diceres: Quoniam ita neceſſe eſt, & Epiſcopi Anglicani hoc volunt, corrigam conſuetudinem totius Eccleſiæ; ad incudem, quod dixi, reuocabo. Audio. Ferruminare rurſus hanc controuerſiam de nuptiis Epiſcoporum te oportet, argento quidem, ſed certè iam non ex Patrum fodinis, ſed ex Miniſtrorum crumenis accepto. Itaque n.74. eorum nuptias probas. *Vbicumque*, inquis, *iam inducta eſt conſuetudo, vt Presbyteri poſt Presbyteratum, imò & Epiſcopi poſt Epiſcopatum vxores ducant, matrimonium id ego etiam in noſtro Occidente legitimum puto & tolerandum ſaltem, ſi non etiam laudandum. Quis enim ignorat, leges omnes humanas contrariâ conſuetudine abrogari?* Hæc tu: in quibus verbis candor non antiquæ fidei, ſed Anglicani argenti apparet. cuius ſpecie & ſpe, quidquid iures, facilè à Patrum & Conciliorum omnium rectiſſimis lineis ad *curuas hominum &* Cæle-

ſtium inanes conſuetudines approbandas abduceris. non abnuerim, conſuetudinem vnius prouinciæ à reliquâ Eccleſiâ approbatam vel toleratam, leges humanas abrogare poſſe: at vnius inſulæ conſuetudinem, vt Epiſcopi & Preſbyteri poſt ſacros Ordines & caſtitatis vota ducant vxores, quales plurimi Eccleſiæ Anglicanæ primi Proteſtantes Epiſcopi erant, quæ totâ Eccleſiâ renitente cœpit & perſtat, propter quam à reliquâ Eccleſiâ anathemate punitur & abiicitur, hanc conſuetudinem poſſe totius Eccleſiæ vniuerſalis perpetuam legem & conſtantem praxim abrogare, neſcio quo probes argumento, neque quo hoc pronuntiatum vel auro vel argento ferrumines, niſi fortaſſis illâ

Matth. 18, v. 17. Chriſti ſaluatoris noſtri aureâ ſententiâ: *Qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*; vel illo Cypriani, quod argen-

De vnitate Eccleſ. c. 4. to pretioſius eſt, dicto: *Vnitatem Eccleſiæ qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, qui Cathedram Petri, ſupra quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſiâ ſe eſſe confidit? Alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt: habere iam non poteſt Deum patrem, qui non habet Eccleſiam matrem.* At te fatente Eccleſia Anglicana, prǽſertim Clerus illius, totius Eccleſiæ vniuerſalis legi antiquiſſimæ perpetuâ conſtantique praxi confirmatæ renititur, &

quò

quò fruatur vxoribus,Eccleſiæ totius anathema contemnit. Quid igitur? reliqua tu colligas. Hoc mihi iam ſufficit, quòd conſtet te ſcientem volentem ab vniuerſalis Eccleſiæ doctrinâ & diſciplinâ diſcedere,& falſum eſſe quod iuras, te tua propugnacula ex ſolis ſanctorum Patrum & Conciliorum metallis effoſſo argento ſolidaſſe.

SECVNDVM EXEMPLVM.

In quæſtione, Quàm ſit antiquus Canon, quo Clerici coniugati olim ſuis vxoribus vti prohibebantur, mirificè tecum ipſe pugnas, dum Patrum dictis vim infers, & tandem cælibatum Clericalem Apoſtolicum eſſe inſtitutum affirmas.

Inprimis negari non poteſt, continentiam Occidentalis Eccleſiæ Clericis præcepto Eccleſiaſtico antiquo impoſitâ fuiſſe, vt etiam Clerici coniugati ſuis vxoribus vti iam non poſſent. Siricium huius præcepti auctorem quidam afferunt. Et ſanè, Siricius continentiam Clericis,ſed non primus præcepit. Quid tu? Siricium continentiam præcepiſſe, & numquam præcepiſſe, tuo more affirmas. Præcepiſſe dicis t. 10.n.41. *Quid obſecro,* inquis, *mouit Siricium, quid Innocentium, quid poſteà tot Conciliorum Patres, vt toties & tam frequentibus decretis & edictis à coniugibus continentiam præciperent, & renouatis toties decretis*

cretis ad eam ſeruandam ſacros Miniſtros compellere ſatagerent, niſi quia maximam inueniebant repugnantiam? Hîc clariſſimè dicis, Siricium ſacros Miniſtros ad continentiam à coniugibus præceptis & decretis coëgiſſe: at eodem c.n. 19. eum præcepiſſe negas. *Continentiam,* inquis, *hanc ille quidem plurimũ commendauit, & ad eam Clericos eſt cohortatus, cogendos tamen eſſe Siricius numquã aut ſenſit aut dixit.* Satin' apertè tecũ ipſe pugnas? opinor.

Secundò, non minùs apertè idem præſtas num. 56. dicis enim, *Occidentalem Eccleſiam fuiſſe tenaciorem continentiæ, quàm Orientalem.* & n. 12. *Eccleſiam,* inquis, *noſtram Occidentalem Latinam longè Orientali Græcâ inuenio ſolertiorem exactioremq́, vindicem plenæ & completæ in ſacris, maioribus præſertim, Miniſtris caſtitatis.* Hæc tu: qui tamen n. 38. dicis, Hieronymum, cùm vellet exactæ continentiæ Clericalis Eccleſias inuenire, quas opponeret Vigilantianis, qui perfectam in Clericis continentiam non probabant, ſe recepiſſe in Orientem: *quod non feciſſet,* inquis, *ſi domi firmam conſuetudinem vidiſſet* (perfectæ continentiæ) *qualem in Oriente obſeruarat: ſi domeſtica exempla habuiſſet, aliena non mendicaſſet.* Ita tu, tibi ipſi contrarius non minùs quàm Occidens Orienti.

Tertiò, de Apoſtolorum continentiâ varia ſcri-

ſcribis. nam num. 33. *Placuit*, inquis, *proculdubiò Orientalibus ſumma pudicitia, cur non placeat id quod tantopere & Chriſtus & Paulus laudauit, & Apoſtoli exemplo etiam confirmarunt?* Hîc ſupponis vt certum, & vtrique Eccleſiæ tam Græcæ quàm Latinæ notiſſimũ, Apoſtolos ſummam pudicitiam, id eſt non ſolùm coniugalem, ſed etiam à coniugibus, quas ante Apoſtolatũ duxerant, obſeruaſſe. Quod cùm verum ſit, pudet me tua verba referre de Apoſtolis num. 78. magis tamen te pudeat ita ſcripſiſſe. *Reſpondeo*, inquis, *non deeſſe probabilitatem, Apoſtolos ſaltem aliquos ſecum circumduxiſſe vxores, & ijs vſos ad omne opus coniugale.* Hoc coniugij Epiſcopalis propugnaculum, nullo Patrum teſtimonio, nullo argento ferruminas: ſed fœdum vt eſt relinquis, tuâ nudâ affirmatione ſubnixum. Multò minùs ſacræ Scripturæ auro illud ornare potes, cui repugnat apertiſſimè, cùm dicat Petrus omnium Apoſtolorum nomine, neque certè mentiebatur: *Reliquimus omnia.* Mat. 19, quæ omnia Chriſtus ſingillatim numerans, 27. inter relicta ab Apoſtolis, & ab illorum ſequacibus relinquenda, ponit vxores.

Quartò, quòd Apoſtoli Clericis præceperint continentiam, Catholici affirmant, tu negas ſæpiſſimè, & vehementer, tamen quodã loco tui immemor, Apoſtolos à ſacris Miniſtris ex-

exegiſſe continentiam, imò & continentiæ votum ſatis apertè aſſeris. Nam c.11. n.10.
1.Tim.5, 12. quod dicit Paulus, *viduas adoleſcentiores, quæ cùm luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt*; hoc dicis intelligi *de viduis Diaconiſſis, quæ fidem caſtitatis in ſui ordinatione promiſſam faciunt irritam tandem, ad nuptias conuolando. Viduæ profectò*, inquis, *quæcumque aſſumebantur ab Eccleſiâ, vt in eâ miniſteria quædam obirent externa, non ſacra, ſed pia & religioſa, circa curam præſertim feminarum, & ab Eccleſiâ conſequenter vt miniſtræ alerentur, debebant votum emittere caſtitatis, & ſuo modo ordinabantur, & Diaconiſſæ vocabantur. Quorum votum caſtitatis eiuſdem prorſus naturæ erat & obligationis cum voto caſtitatis Clericorum, & conſequenter, ſi Clericorum votum erat ſolemne, etiam harum viduarum ſolemne erat*. Hæc tu: in quibus verbis duo dicis. Primò, Apoſtolos tantã curam habuiſſe vt miniſtri Eccleſiaſtici caſti eſſent & continentes, vt etiam è Miniſtris, quæ non ſacra ſed pia obirent miniſteria, votum exigerent ſolemne caſtitatis. Secundò, tamquam certiſſimum ſupponis, tempore Apoſtolorum Clericos & ſacros Miniſtros obligatos fuiſſe voto ſolemni caſtitatis, etiam Diaconos, nedum Sacerdotes, qui ſacrificium Corporis & San-

Sanguinis Chriſti offerebant. *Votum*, inquis, *debebant emittere caſtitatis.* igitur neceſſitas ipſis incumbebat, præcepto aliquo obligabantur caſti eſſe, imò vouere caſtitatem, ſi non diuino, ſaltem humano ſeu Eccleſiaſtico, ab Apoſtolis dato. Quòd ſi Apoſtoli adeò erant caſtitatis in miniſtris Eccleſiaſticis amantes, vt ne Diaconiſſas quidem, niſi caſtas & voto ſolemni caſtitatis obſtrictas, admitterent; quàm turpe eſt, putare *ipſos vxoribus ad omne opus coniugale vſos*, vel conſecraſſe Sacerdotes, *qui Chriſti Corpus ore ſacro conficerent*, quos ad caſtitatem voto ſolemni non obligarent.

Tertivm exemplvm.

Tertiò, Catholici dicimus, hanc legem cælibatus ab Apoſtolis latam olim non minùs in Eccleſiâ Græcâ ſeu Orientali, quàm in Latinâ ſeu Occidentali latam, ſacroſanctam fuiſſe, nec vllos potuiſſe ad ſacros Ordines ſecundùm Canones promoueri, qui non obligarentur ad continentiam. Hæc præcipua controuerſia eſt, & noſtram aſſertionem peruicaciter tu negas; ſed interim ita reſpondes ad Catholica argumenta, vt palàm ſit, te contra præſtitam in Præfatione fidem, Patrum rectas lineas curuare & torquere velle, ſed non poſſe. Hoc oſtenditur

ex reſponſionibus, quas adhibes ad tria loca Epiphanij. Primus locus eſt in fine Panarij, vbi hac de re ita ſcribit: *Sanctum Sacerdotium ex virginibus vt plurimùm, aut ex ſolitariis; aut hi ſi ad miniſterium non ſuffecerint, de his qui ſe à propriis vxoribus continent: & ſi quis ab initio continens viduus fuerit, habere poteſt locum Epiſcopi, Presbyteri,* &c. Hîc Epiphanius non alios Clericos ab Eccleſiâ recipi ait, quàm virgines, vel Monachos, vel viduos monogamos, vel denique à propriis vxoribus continentes; hoc eſt (vt verba clamant) coniugatos qui ſuis vxoribus nòn vtebantur. Quid tu cenſes, Antoni? *Apud Epiphanium* (inquis c. 10. n. 81.) *continentes à propriis vxoribus, non ſunt coniugati continentes, ſed cælibes, qui prorſus abſtinent ab vxore ducendâ.* Et iterùm, *Certè*, inquis, *eos, qui à propriis vxoribus ſe continent, Epiphanius cælibes intellexit, qui continent ſe ab vxore ducendâ.* Qui ſic ſcribis, putáſne tibi iuranti te Patrum rectas lineas non curuare, quempiã mentis compotem fidem adhibere poſſe? an mentis compos ille eſt, qui putat, vxorem prorſus non ducere idem eſſe, quod ſe continere ab vxore propriâ? Sed tu ad hunc ſyllogiſmũ reſponde, ſi potes: A propriâ vxore ſe continere non poteſt, qui propriam vxorem non habet, ſicut ab vxore proximi abſtinere nemo poteſt, niſi

niſi proximus vxorem habeat: Sed cælebs propriam vxorem non habet: Igitur à propriâ vxore continere dici non poteſt, niſi qui coniugatus ſit.

Secundus locus Epiphanij eſt Hæreſi 51. *Nam quod decentius eſt, id ſemper Eccleſia per Spiritum ſanctum videns ſtatuit apparare, vt cultus diuini indiſtracti Deo perficerentur, & ſpirituales neceſſitates cum omni beneuolâ conſcientiâ peragerentur. Epiphanius*, inquis n. 43. *quod decens ſit conſiderat, non quod ſimpliciter neceſſarium.* Iterùm apertè pugnas cum Epiphanio, non enim ſolùm conſiderat quid decens ſit, ſed etiam dicit, Eccleſiam à Spiritu ſancto gubernatã ordinaſſe & ſtatuiſſe id quod decens eſt. Itaque continentia, quæ per ſe decentiſſima Clericis eſt, adiuncto Eccleſiæ ſtatuto, neceſſaria eſt, hoc eſt præcepta.

Tertius locus & clariſſimus ibidem habetur, vbi dicit, *Adhuc viuentem & liberos gignentem vnius vxoris virum Eccleſia non ſuſcipit*, &c. *maximè vbi ſinceri ſunt Canones Eccleſiaſtici. At dices mihi, in quibuſdam locis adhuc liberos gignere Presbyteros, & Diaconos, & Hypodiaconos: at hoc non eſt ſecundùm Canonem, ſed ſecundùm hominum mentem, quæ per tempus elanguit.* Quàm perſpicuè dicit, Clericum coniugatum adhuc, id eſt, poſt ſuſceptos Ordines, liberos gignere ſecundùm Canones

nones non poſſe, ſed continentem eſſe debere. Fieríne poteſt, vt vllâ vi tam clara Epiphanij verba, Canoneſque quos nominat rectiſſimos, à condemnatione vſus coniugij Clericalis ad tuas libidines & impura phantaſmata torqueas? Hoc conaris, ſed fruſtrà. Cap. 10. n. 84. dicis, Canonem, de quo loquitur Epiphanius, non fuiſſe Canonem ne Clerici coniugati ſuis vxoribus vterentur, ſed ne vlli coniugati Clerici fierent. Addis numer. 86. Hieronymum vidiſſe ſuo ſæculo hunc Canonem in Eccleſiis Orientis *exactè ſeruatum*, tamen poſtmodũ ſecundùm mentem hominum elanguiſſe, vt dicit Epiphanius; quia Eccleſia, cùm non poſſet multiplicatis iam fidelibus inuenire Miniſtros ſacros qui vellent eſſe continentes, quot ſufficerent tantæ multitudini, coactam eſſe admittere coniugatos; *numquam autem vxoratos admiſit cum prohibitione vſus matrimonialis.* Hæc tu: & hunc Canonem de coniugatis non ordinandis vbique repetis, & Patrum teſtimoniis opponis. Bis peccas. Primò, praxim Romanam, quam oppugnandam ſuſceperas, approbas: ſecundò, tecum ipſe pugnas. Vtrumque oſtendo.

Quòd praxim Romanam circa cęlibatum Clericalem, vt Apoſtolicæ inſtitutioni conformem, approbes, patet. Nam praxis Romana

na in duobus conſiſtit, quorum vtrumque antiquum & Apoſtolicum eſſe inſtitutum tu dicis. Primum eſt, vt nullus coniugatus vtens vxore admittatur ad ſacros Ordines, quamdiu virgines & continentes, aut vxorati qui ſe voluntariè offerunt ad continentiam, numerò idoneo reperiuntur. Hanc autem fuiſſe regulam antiquæ Eccleſiæ tu dicis. *Coniugatos*, inquis n. 81. *Epiphanius prætermiſit, quia coniugati non aſſumebantur, niſi quando ex virginibus, Monachis, continentibus & viduis monogamis non poſſet ſuppleri.* & n. 82. *Si quis*, inquis, *coniugatus monogamus ſe exhiberet ad ſacros Ordines cum legitimâ ſeparatione ab vxore, talis profectò pro cælibe habebatur & admittebatur.* Hæc tu: an non hæc ipſiſſima Romana praxis? Nam falſum eſt quod tu dicis n. 63. nos compellere coniugatos vt voueant caſtitatem inuitis vxoribus. *Quam conditionem*, inquis, *abſolutè turpem eſſe, meritò non dubitant Trullani Patres; quia coniux obligatus coniugi ex iuſtitiâ teneatur reddere debitum petenti.* & paulò pòſt: *Propterea hanc conditionem Canon hic Trullanus meritò conatur abolere, ſicut meritò Auguſtinus ſtultum votum continentiæ dicit eſſe & non ſeruandum, ſi abſque conſenſu coniugis fiat.* Hæc tu: vbi vel impudentiſſimè contra conſcientiá mentiris, vel craſsâ ignorantiâ laboras; indignumque te oſtendis, qui

Epiſcopus eſſes; imò numquam verum Epiſcopum, ne quidem quoad Ordinem fuiſſe, ſi verum ſit quod dicis lib. 2. c. 4. n. 35. craſsè ignorantem, quamuis externè ordinetur, internè à Deo non ordinari, nec verè Epiſcopum fieri. Nihil enim notius apud Theologos eſt, quàm non poſſe quempiam inuitâ vxore vouere continentiam, vt ei non teneatur debitum reddere; quod definitum eſt in Iure Canonico, c. Coniugatus, De conuerſ. coniug. Quòd ſi quis *inuitâ* vxore, vel *inſciâ*, vel *ſciente, nec tamen expreſſè conſentiente*, ordinetur, voueatque continentiam, obligari nihilominùs ad debitum reddendum; imò iſtiuſmodi coniugatum Clericum, etiamſi ſummus Pontifex fieret, bonâ fide, quia vxorem mortuam crederet; adhuc teneri vxori, nec poſſe Eccleſiam totam hoc eam iure priuare. Itaque Eccleſia Romana, quæ non admittit coniugatos, qui vtuntur matrimonio, dum habet alios qui cōtinere volunt, praxim Apoſtolicam ſequitur. Quòd ſi iſtiuſmodi non reperirentur, tunc maritos ſine dubio admitteret. Secundum in praxi Eccleſiæ Romanæ eſt, vt quos continentes ad Ordines ſuſcipit, obliget ad perpetuam continentiam: quam fuiſſe etiam Apoſtolicam conſuetudinem, tu concedis. In Eccleſiâ, inquis, qui pia nedum ſacra miniſteria obibant, votum debebant

Vir illitteratus, lupus eſt.

Ita tenent Canoniſtæ omnes, quos citat & ſequitur Thom. Zanchius l. 7. De matrim. 36. n. 12.

bebant emittere caſtitatis. Quid igitur Romanam Eccleſiam reprehendis, quæ cælibatum eo modo, quo, te fatente, fuit inſtitutus ab Apoſtolis, vel fortaſſis à Chriſto, obſeruat? *Quanta cæcitas eſt, vt illi maledicas, pro quâ neſciens quid dicas, tam multa dicis!* Auguſtin. poſt collat. ad Donat. c. 29.

Secundò, Cùm dicis, Canonem exſtitiſſe olim de coniugatis non ordinandis tempore Hieronymi *exactè ſeruatum*, tecum ipſe multipliciter pugnas. Primò, Quia Hieronymus & Epiphanius eodem ſęculo & inter ſe familiariſſimè vixerunt, niſi quòd Epiphanius ante Hieronymum aliquantò deceſſit. Quomodo igitur videre potuit Hieronymus hunc Canonem de coniugatis *exactè ſeruari* in Eccleſiis Orientis, ſi vidit eum Epiphanius in Eccleſiis proculdubiò Orientis, in quibus Epiſcopus erat, violari, & *ſecundùm hominum mentem elangueſcere?* Secundò, c. 10. n. 17. ita ſcribis: *Coniugatos ſeu Clericos, ſeu viros interdum laicos, potuiſſe ad ſacros Ordines, etiam ad Sacerdotium & Epiſcopatum, nullo diſcrimine promoueri, ipſum Chriſti factum ante omnia docet.* Hæc tu: & varia affers exempla, & tamen plurima te omittere dicis. Audi igitur teipſum, Antoni, niſi ſurdus ſis, & vide quàm ſis abſurdus, qui dicis Canonem antiquum fuiſſe vt nulli coniugati promouerentur, & tamen Clericos coniugatos ad Sacerdotium

non minùs quàm cælibes, NVLLO DISCRIMINE promotos fuiſſe. Nam quomodo inter coniugatos & non coniugatos, quoad promotionem ad ſacros Ordines, nullum diſcrimen erat, ſi promotio coniugatorum Canone Eccleſiaſtico vetabatur? Deinde c.10.n.64.dicis,Græcos in Synodo Trullanâ reſtitiſſe voto Clericalis continentiæ per Romanam Eccleſiam impoſito, *vt perpetuam ſuam*, inquis,*retinerent conſuetudinem coniugiorum*. Hæc pugnant cum Canone tuo, quem fingis. Nam quomodo fuit in Eccleſiâ Orientali perpetua conſuetudo coniugiorum,& ſimul Canon,ne promouerentur vlli coniugati,aliquamdiu exactè ſeruatus? Quo tempore nulli prorſus promouebantur coniugati,quî potuit eſſe vſus coniugiorum?& ſi tunc vſus coniugiorum non fuit, quomodo coniugiorum vſus perpetuò fuit? Similiter dicis n.54. Patres Nicænos ex conſuetudine antiquiſſimâ Eccleſiæ ſtatuiſſe vt Epiſcopi ſuis vxoribus vti poſſent. *Nam vſus erat*, inquis, *communiſſimus, neque vmquam lege vllâ, aut vllo præcepto interruptus, vt Epiſcopi & Presbyteri & vxores habere poſſent,& ijs vti.* Hoc ſi verum,quomodo Canon in Eccleſiâ aliquamdiu obtinuit, vt nulli prorſus coniugati promouerentur?

QVAR-

QVARTVM EXEMPLVM.

Hieronymus cælibatum Orientalis Eccleſiæ clariſſimè aſſerit, cuius teſtimonio tu pro viribus tenebras offundere, lucentemque in totâ Eccleſiâ pudicitiam Clericalem extinguere conaris. Nam Hieronymus Vigilantium & Vigilantianos, qui nemini dabant Sacramentum Ordinis, niſi coniugato, impugnans, *Quid faciunt*, inquit, *Eccleſiæ Orientis, quid Aegypti, & Sedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerunt, mariti eſſe deſiſtunt?* Hæc Hieronymus, vbi dicit aperte, coniugatos Clericos poſt Ordines deſiſtere eſſe maritos, id eſt, vti matrimonio. Nam maritum eſſe, & vti coniugio, Hieronymo idem eſt, vt patet ex eius dicto aduerſus Iouinianum virginitatis oſorem, quem impugnat ex caſtimoniâ Chriſtiani Sacerdotij. *Permitte*, inquit, *Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines & mariti: aut ſi Sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem.* Dicit apertè, quòd, maritum eſſe, ſit exercere opera nuptiarum; & ideò maritum & virginem repugnantia facit: non repugnarent autem, niſi maritus is eſſet, qui vteretur coniugio. Nam coniugatus continens ab vxore, virgo eſſe poteſt.

Hieron. adu. Vigil. init.

Hieron. aduerſ. Iouin. lib. 1.

Nunc te audiamus hæc Hieronymi verba exponentem c. 10. n. 86. *Hieronymus*, inquis, *eos, qui ſi vxores habuerunt, mariti eſſe deſiſtũt, intelligit viduos monogamos, qui mariti eſſe deſiſtunt, quia à ſecundis nuptiis iam ſtatuerunt abſtinere, & nolunt ampliùs fieri mariti: quod eſt directè contra Vigilantium, qui ſolos coniugatos volebat ordinari. Huic directè contrarium erit, vbi nullus coniugatus ordinetur. Illi ergo qui mariti eſſe deſiſtunt, cùm ſint contrarij Vigilantio, non ſunt coniugati, ſed vt dixi, vidui monogami; alioquin quantumcumque ab vxoribus abſtinent, ſi mariti tamen eſſent & coniugati, id ſatis eſt Vigilantio ad ſui dogmatis confirmationem. Siuę enim miſceantur vxoribus, ſiue non, modò vxores habeant, Vigilantius habet quod cupit. Viderat igitur Hieronymus in illis Eccleſiis ſeruari exactè id quod Epiphanius ſecundùm Canones ordinariè fieri debere ſuprà docuerat: nec ibi neceſſitas cogebat aſſumere coniugatos; quia alij gradus, puta virginum, cælibum, continentium, & viduorum monogamorum neceſſarios miniſtros ſuppeditabant.* Hæc tu: quæ volui fusè recitare, vt intelligat Lector (ſi tu hoc intelligere non vis) quantâ cæcitate labores, qui tot & falſa, & abſurda, & impia, & cum aliis dictis tuis pugnantia, in vnam ſententiam coaceruare potuiſti.

Inprimis mirabilis eſt cæcitas tua, qui dicis

cis n. 38. Hieronymum hoc loco Vigilantio oppoſuiſſe tantùm Eccleſias Orientales & Ægypti, *nullas verò in Occidente inueniſſe*, quas Vigilantio meritò poſſet opponere. Nónne enim Hieronymus in hac ſententiâ Vigilantio opponit præter Eccleſias Ægypti & Orientis etiam Eccleſias Sedis Apoſtolicæ? Quid? an vocem Sedis Apoſtolicæ ſuperesse, nihil ſignificare putas apud Hieronymum? Nam quod dicis l. 3. c. 10. n. 7. *Hieronymum Eccleſias Sedis Apoſtolicæ dicere Eccleſias Alexandrinæ ſedi ſubiectas, aut certæ Sedi Apoſtolicæ, quæ ſit in Oriente*, facilè refellitur. Non intellexiſſe Eccleſias Alexandrino Patriarchæ ſubiectas, patet. Nam Eccleſias Alexandrinæ ſedi ſubiectas ſatis expreſſerat, cùm dixit, *Eccleſias Aegypti*. Quid neceſſarium fuit addere, ad eas explicandas, *Sedis Apoſtolicæ?* aut cur ſedes Alexandrina, quam nullus Apoſtolus per ſe ipſum fundauit, abſolutè *Sedis Apoſtolicæ* nomine intelligeretur? Cùm verò dicis, intellexiſſe nomine Sedis Apoſtolicæ abſolutè certam Sedem Apoſtolicam in Oriente, quæ quo loco, quóve nomine vocetur neſcis, cæcus es, qui ſic *palpas in meridie*, nec vides Sedem Apoſtolicam toti orbi notiſſimam. Quis enim neſcit, Sedem Apoſtolicam abſolutè dici Romanam, *in quâ ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Prin-* Auguſtin. epiſt. 162.

D 5 *cipa-*

cipatus? Dices, Cur igitur *Sedes Apoſtolica*, quæ dignitate prima eſt, vltima hîc nominatur? Reſpondeo, Hieronymum Vigilantio opponere voluiſſe Eccleſiam Catholicam ſecundùm tres Patriarchas diuiſam, & Patriarchas numeraſſe eo ordine, quo ipſi ſcribenti viciniores erant. Ipſi autem qui contra Vigilantium ſcribebat ex Bethlehem, proximus erat Patriarcha Antiochenus, cui ſuberant Eccleſiæ Orientis, imò ipſa Palæſtina. Poſt Antiochenum proximus erat Alexandrinus, cui ſuberant Eccleſiæ Ægypti. Remotiſſimus verò Pontifex Romanus Sedis Apoſtolicæ Præſul, qui ſuas etiam Eccleſias habebat ſibi proprio Patriarchali iure ſubiectas. Has igitur omnes Eccleſias eo ordine quo ipſi ſcribenti ex Bethleem occurrebant, primò *Orientis*, ſecundò *Aegypti*, tertiò *Sedis Apoſtolicæ*, cælibatum in ſacro miniſterio inuiolatè obſeruantes, Vigilantio & paucis Galliarum Epiſcopis oppoſuit. Sed tu, quia Romanam abſolutè dici Sedem Apoſtolicam, & hac notâ à ceteris diſtingui ægrè fers; quiduis potiùs dixeris, quàm te victum à veritate fatearis.

Secundò, cùm dicis, Hieronymum in Eccleſiis Orientalibus & Ægypti nullos prorſus vidiſſe Clericos coniugatos, ne quidem abſtemios à ſuo coniugio, quia viderat Canonem

nonem Epiphanij ibi exactè ſeruari; quid dici potuit falſius? quid repugnantius cum aliis dictis tuis? In primis circa Canonem, quem fingis in Epiphanio, tibi ipſi non conſtas. Nam ſuprà n.82. dixeras, hoc Canone non fuiſſe prohibitum ordinari coniugatos qui ſe voluntariè offerebant ad continentiā: at hîc ſupponis, ſecundùm Canonem Epiphanij nullos coniugatos debuiſſe ordinari, quantumcumque vellent ab vxoribus abſtinere. & ideò ex obſeruatione Canonis Epiphaniani infers, nullos omnino coniugatos Clericos Hieronymum vidiſſe in Orientis Eccleſiis, ne quidem à coniugio caſtiſſimos. Iſta non conſentiunt. Iam ſi nullus vmquam Eccleſiæ Canon coniugatos à ſacris Ordinibus excluſit, ſi modò vellent à coniugibus abſtinere, quî tibi conſtare poteſt, nullos prorſus in Eccleſiis Orientalibus Clericos coniugatos fuiſſe, ne quidem à coniugibus quantumcumque abſtinentes? Imò quid notius in hiſtoriis, quàm in Eccleſiis coniugatos Sacerdotes & Epiſcopos ſæculo Hieronymi in Oriente fuiſſe? Hoc duplici conſtat exemplo: vno, quod Hieronymo; altero, quod tibi notiſſimum eſt. Hieronymus, qui Gregorij Nazianzeni in Oriente diſcipulus fuit, quî potuit ignorare, patrem Gregorij coniugatum, cum vxore diu vixiſſe Epiſcopum? Tibi

verò

verò quid poteſt eſſe notius Epiſcopo Orientali tui cognominis Antonio, quem quòd poſt Epiſcopatum vteretur vxore, cui renunciauerat, accuſatum apud S. Chryſoſtomum refers c. 10. n. 29. Innumera poſſent addi exempla, quæ ſatis oſtendunt te penſi non habere, quàm palàm falſa ſcribas.

Tertiò, Hoc quòd dicis, non poſſe refutari Vigilantium niſi exemplis Eccleſiarum, in quibus nullus coniugatus ſit; imò ſi fuerint in Eccleſiis aliqui coniugati, quantumcumque poſt Ordines à coniugio abſtinuerint, tamen Vigilantium habere quod cupit; cupit autem ſolos coniugatos ordinari: hoc, inquàm, *inconſideratè*, & *impiè*, & cum tuis dictis *repugnanter* eſt dictum. *Inconſideratè*; quia ſi expendiſſes verba Hieronymi, ſtatim vidiſſes, Vigilantium non Clericos coniugatos abſtinentes, ſed tantùm matrimonio vtentes ordinandos exiſtimaſſe. *Niſi prægnantes*, inquit Hieronymus, *viderint vxores Clericorum, infanteſq́ de vlnis matrum vagientes, Chriſti Sacramenta non tribuunt*. Ita de Vigilantianis Hieronymus. Quomodo hi, qui nullos Clericos volebant, niſi qui liberos gignerent, non conuincebantur & confundebantur exemplis totius Eccleſiæ, in quibus nullus coniugatus erat, vel ſi coniugati erant, liberos gignere deſiſtebant, imitabanturque pudiciliam

Aduerſus Vigilant. init.

tiam

tiam virginalem? *Impiè*, quia ſi confutari non poteſt Vigilantius, niſi Eccleſiarum illarum exemplis, quæ nullum prorſus habent Clericum coniugatum, quantumuis abſtinentem; ſi Vigilantius habet quod cupit, ſi modò ſint in Eccleſiâ coniugati Clerici, quamuis mariti eſſe deſiſtant, & vxoribus non miſceantur; certè Vigilantius cauſam obtinuit, cùm (te fatente) ſemper in Eccleſiâ Clerici habuerint coniugium, nec vllum ſæculum nominari poteſt, in quo nulli prorſus fuerint Clerici coniugati. Denique *pugnanter* cum tuis dictis; nam c. 10. n. 57. de Euſtachianis in Concilio Gangrenſi excommunicatis, quia odio nuptiarum percipere nolebant de oblatione Sacerdotis coniugati, dicis eos non abhorruiſſe à ſacrificio Sacerdotum coniugatorum ab vxoribus abſtinentium, *quia hi erant*, inquis, *tamquam vxores non habentes, & tamquam virgines*. Igitur cùm contrariorum contraria ſit ratio, certè Vigilantianis, qui nuptias in Clericis amabant, non placebant coniugati continentes, ſed eos non minùs quàm virgines & cælibes oderant, & à ſuo Clero arcebant, atque adeò exemplis Clericorum coniugatorum continentium configebantur, non minùs quàm virginum aut cælibum, qui numquã vxoribus vſi fuerant.

Quartò, Te non aliud curare quàm vt

Pa-

Patrum dicta torqueas, tamen defectu memoriæ hoc ſtupidè facere vt tecum ipſe pugnes, inde euidenter colligitur, quòd his verbis Hieronymi, *ſi vxores habuerunt, mariti eſſe deſiſtunt*, hoc ipſo capite 10. ſenſum prorſus repugnantem tribuas, fateariſque quod negaueras, hos, qui mariti eſſe deſiſtunt, apud Hieronymum eſſe coniugatos continentes. Nam Baronio, qui vt probet, etiam poſt Nicænum Concilium non potuiſſe Epiſcopos vti vxoribus, hoc dictum Hieronymi affert, *Eccleſias Orientis & Aegypti ſuſcipere aut virgines Clericos, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt*, reſpondes c. 10. n. 56. *Non dicit Hieronymus, ita paßim ab omnibus Clericis fieri, & ex neceßitate fieri, nec ad hoc vnumquemque ordinatum aut ordinandum cogi. Aderant igitur continentes huiuſmodi, ſed cum libertate & voluntariâ electione.* Hæc tu. Hoc ſcilicet eſt rectis Patrum lineis inniti, eorum dicta in varios & repugnantes ſenſus flectere. Nam ſi verum eſt quod dixeras, Hieronymum nullum prorſus vidiſſe in Orientis Eccleſiis Clericum coniugatum, ſed Canonem de nullis omnino coniugatis ordinandis exactè ſeruari; quomodo verum quòd nunc dicis, vidiſſe in Oriente Clericos coniugatos, & ex illis non paſſim ab vxoribus abſtinentes? Si verum quod dixeras, nul-

larum

larum Eccleſiarum exempla, niſi quarum omnes Clerici coniugio carerent, ſufficere ad confutandum Vigilantium, imò Clericorum *coniugatorum, quantumuis abſtinentium, exemplis Vigilantÿ dogma confirmari*; quàm nunc facis ineptum Hieronymum, quem fingis adducere contra Vigilantium Eccleſias, in quibus coniugati Clerici non modò erant, ſed etiam paſſim vxoribus vtebantur? Denique, dicti Hieronymiani, *ſi vxores habuerunt, mariti eſſe deſiſtunt*, ſenſus iſte tuus, *aliqui ex coniugatis Clericis liberè abſtinent ab vxoribus, quamuis plures & paſsim non abſtinent*, ſenſus inquam iſte ridiculus eſt. Nam ſi nihil aliud præter hoc dicit de Clericis Hieronymus, certè nihil de ijs dicit, quod de laicis Chriſtianis ſui ſæculi æquè verè dicere non potuiſſet, nimirum Chriſtianos aut *virgines eſſe, aut continentes, aut ſi vxores habeant, maritos eſſe deſiſtere*. Nam vt in Clero, ita etiam inter laicos Chriſtianos erant plurimi virgines, erant continentes; erant ex coniugatis non pauci, qui liberè ab vxoribus abſtinebant. Igitur hoc, quem Hieronymo affingis, ſenſu, laici Chriſtiani non minùs quàm Clerici caſti erant; nec aliquid ſingulare de Clericis dixit Hieronymus, cùm dixit virgines eſſe aut continentes, aut maritos eſſe deſiſtere. Non vides, Antoni, quantâ luce veri-
tatis

tatis vndique circumderis? non ſentis, quàm ſit verum illud Auguſtini, *Nihil infelicius homine qui non vult cedere veritati, quâ ita concluditur, vt exitum inuenire non poſſit.*

Lib. 5. contra Petilian. cap. 18

QVINTVM EXEMPLVM.

Capite 10. n. 52. pro coniugiis Epiſcoporum affers teſtimonium Athanaſij, qui perſuadere cupiens Dracontio Monacho vt Epiſcopus fieri vellet, reſpondet argumento, quo maximè Dracontius ab Epiſcopatu deterrebatur. Verebatur enim, ne delinitus libertate Epiſcopali, poſt Epiſcopatũ vxorem duceret, & à caſtitate caderet. *Ne talia*, inquit Athanaſius; *obiiciant conſiliarij tui. Nam multi ex Epiſcopis matrimonia non inierunt, Monachi contrà patres liberorum facti ſunt, quemadmodum viciſſim Epiſcopos filiorum patres, & Monachos generis poteſtatem non quæſiuiſſe animaduertas*, &c. *& Clericos bibiſſe, & Monachos ieiunaſſe. Sic enim licet, & ad eum modum non prohibebatur: quiſque vbi volet decertet. non enim corona pro locis, ſed pro factis redditur.* Hęc Athanaſius: vbi aperte loquitur de malis Clericis & Monachis, & dicit, Monaſterium non prohibere, quin Monachi, ſi velint, mali eſſe poſſint, & ab inſtituto deficere; nec ciuitatem prohibere, quin Epiſcopis ſanctitatem liceat & caſtitatem ſeruare. Tu tamen

Epiſt. ad Drac.

men c.10.n.53.hoc ferre non vis. Athanaſiũ vt nuptias Epiſcopales approbet, velit nolit, pertrahis. Tria dicis. Primò, Athanaſium enumerare quæ ab Epiſcopis & Monachis licitè fieri poterãt, & *te mirari frontem Bellarmini, qui dicere audet, hîc ab Athanaſio reprehendi Epiſcopos & Monachos quæ ſunt illicita facientes*. Secundò, ex his verbis Athanaſij, *Multi ex Epiſcopis matrimonia non inierunt*, infers: *Igitur multi erant etiam, qui matrimonia inibant, & tamen erant Epiſcopi, non apoſtatæ à Clero aut Religione*, Tertiò addis etiam, Athanaſium *dicere*, *Monachos pro libitu ſuo maritos & patres filiorum licitè fieri*. Ita tu, Patrum ſcilicet rectis lineis inſiſtens; qui tamen tecum ipſe pugnas, cum Athanaſio pugnas, & monſtra antiquæ Eccleſiæ inuiſa, ex tuo cerebro creas. Tecum pugnas apertiſſimè, cùm dicis, Epiſcopos *matrimonia licitè iniiſſe, qui erant Epiſcopi, nec propterea ſuo gradu excidiſſe*. Nam ſępe & apertè dicis, olim ſemper illicitum fuiſſe iam Epiſcopo vxorem ducere; quam ſi duceret, non fuiſſe in gradu Eccleſiaſtico retinendum. Nunc verò quid dicis? licitè Epiſcopos olim matrimonia iniiſſe, nec talibus matrimoniis apoſtatas à Clero factos. Certè *matrimonium inire*, eſt vxorem ducere. Quomodo igitur poterant Epiſcopi matrimonia inire, nec à

Clero deficere, ſi ducendo vxores apoſtatæ olim fiebant? Secundò non minùs apertè pugnas aduerſus Athanaſij mentem, quem dicis narrare quæ licitè Epiſcopi faciebant, cùm dicit matrimonia iniiſſe. Nam profectò dicit Athanaſius, Epiſcopos matrimonia iniiſſe poſt Epiſcopatum. Concedit enim, multos Epiſcopos feciſſe, quod Dracontius ne faceret, ſi fieret Epiſcopus, metuebat. Sed Dracontius Monachus non metuebat ne duceret vxorem ante Epiſcopatum, & vxore iam ductâ Epiſcopus vteretur; ſed ne poſt Epiſcopatum duceret, & matrimonium iniret. Quod multis Epiſcopis contigiſſe illic concedit Athanaſius; ſed addit, idem etiam Monachis contigiſſe. Quomodo igitur, quæ licitè Epiſcopi facere poterant, narrat Athanaſius? An non te iam dicentem audiuimus, poſt Epiſcopatum ducere vxorem, quod eſt matrimonium inire, numquam olim licuiſſe, abſurdum & prorſus inimitabile fuiſſe? Cur miraris Bellarmini frontem, qui id aſſerit, quod tu, ſi mẽtem haberes, negare non poſſes? nec illud niſi tuamet dicta abnegando, neges? Tertiò, monſtrum informe, horrendum, in tuo capite creas, quale numquam antiquitas vidit; Monachum ſcilicet, qui licitè vxorem habeat, & eâ vtatur, & filios gignat. De quo genere Monachorum,
ſeu

ſeu potiùs monſtrorum, fuſiùs ſcribis c. 11. n. 22. *Audiuimus*, inquis, *Athanaſium aſſerentem, multos ex Monachis vxores habere, & filios procreare: & Auguſtinus aduerſus hæreticos, dictos Apoſtolicos, non recipientes in ſuam communionem vtentes coniugibus, & res proprias poſſidentes, illud obiicit, Quales habet Catholica Eccleſia & Monachos & Clericos plurimos, nimirum & vxoribus vtentes, & propria poſſidentes. Non deerant igitur Monachi etiam vxorati in Catholicâ Eccleſiâ, & non apoſtatæ, ſed veri Monachi: ſiquidem producuntur ab Auguſtino ad illam hæreſim confutandam, & ab Athanaſio ab oſtendendum, ſtatum Monachalem non cogere quemquam ad continentiam.* Hæc tu: & ſtatim quęris, quale genus Monachorum iſtud fuerit? *Erat fortaſſis*, inquis, *genus Monachorum laicorum & coniugatorum, & cum proprietate rerum; ſed vitæ aſperioris & religioſæ in pœnitentiâ. Sed hi non erant cœnobitæ.* Hæc tu: neſcio an magis ridendus, qui ridicula figmenta multò Lucianicis fabulis improbabiliora tamquam Chriſtianę Eccleſiæ inſtituta, tam ſeriò narras; an miſerandus, qui ſuperbiâ aduerſus Chriſti Vicarium, & nupturiendi libidine cæcus, cùm tam apertè falſa & ineptia, & cum tuis aliis dictis pugnantia dicas, tamen te ſapere & doctè ſcribere exiſtimas. In primis (excutiamus

De hæreſ. ad Quodvultdeum, hær. 40.

enim parumper iſta, vt tu inſipientiam tuam etiam manu palpes) lib.2. c.12.n.2. vniuerſim Monachum definiens, dicis, *inſtitutum Monachorum Chriſtianorum in hoc conſiſtere, vt quod Paulus, quod fideles non lege vllâ, non præcepto; ſed liberè, ſponte, propriâ voluntate obſeruarant, id ſibi aliqui legem propriâ voluntate faciunt, vt nimirum cælibes & continentes viuerent, poſſeßiones certoſq́; reditus nullos haberent*, &c. Hæc tu. Iam ſi Monaſticum inſtitutum in genericâ conſideratione requirit vt Monachi continentes ſint, nec propria poſſideant; quomodo in genere monachali ſpecies aliqua continetur Monachorum, qui & vxoribus vtantur, & propria poſſideant? præſertim cùm tu eodem capite n.45. *Si Monachus*, inquis, *duxerit vxorem, permaneat in coniugio, nec indiget vllâ diſpenſatione: ipſe enim per aſſumptionem ſtatus incompoßibilis cum Monachatu ſecum ſatis diſpenſauit*. Ita tu, definiens ſtatum monachalem eſſe incompoſſibilem cum ſtatu coniugali; & tamen veros Monachós dicis eſſe, qui coniugati vxoribus vtuntur. Profectò vix magis incompoſſibiles ſunt inter ſe ſtatus matrimonij & monachatus, quàm inter ſe tuæ ſententiæ. Præterea numquam explicare potes, ex quo genere Monachorum hi tui veri Monachi & veri mariti fuerint. Nam

lib.2.

lib. 2. c. 12. n. 3. Monachos cum Caſſiano vniuerſim diuidis in *tria genera, quorum*, inquis, *duo ſunt optima, tertium tepidum & omnibus euitandum. Primum Cœnobitarum, qui ſcilicet in congregatione pariter conſiſtentes, vnius ſenioris iudicio gubernantur. Secundum Anachoretarum, qui priùs in cœnobiis inſtituti, iamq́; in actuali conuerſatione perfecti, ſolitudinis elegere ſecreta. Tertium Sarabaitarum reprehenſibile, qui ſeparati ab aliis, & propria poſſident, & ſuo arbitratu viuunt, mundóque tantùm ſpecietenus renuntiarunt.* Tui veri Monachi vxoribus vtentes ac liberos gignentes, ad quod genus Monachorum ex hoc triplici pertinebunt? *Non ſunt*, inquis, *cœnobitæ.* hoc facilè tibi crediderim. multò minùs, opinor, dices anachoretas fuiſſe, qui poſtquam in cœnobiis diu caſtè vixiſſent, maioris perfectionis auidi, ad rem vxorariam & familiam, vélut ad ſolitudinis ſecretum conuolarunt. Reſtat igitur vt fuerint Sarabaïtæ, Monachorum genus ab omnibus euitandum. Cur igitur dicis, S. Auguſtinum adeò de illis gloriari, vt ipſos hæreticis velut irreprehenſibiles obiiciat? nec teipſum nec Auguſtinum intelligis. Collat. 18 cap. 4.

Tertiò, Cùm dicis, Athanaſium hos Monachos teſtes ciere, vt probet, ſtatum Monachalem non *quemquam cogere ad pœniten-*

tiam; non ſolùm facis Athanaſium ineptè tale genus Monachorum comminiſci, ſed etiam non minùs ineptè ex illo commento argumentari. Eſto enim, fuerit tale genus Monachorum; non inde ſequitur, ſtatum Monachalem non quemquam cogere ad pœnitentiam. Nam quamuis illud genus Monachorum vxorium non teneretur ad continentiam, non ſequitur, reliqua genera non obligari, ſeu nullum prorſus obligari, vel Dracontium Monachum non fuiſſe ad continentiam obligatum, qui vel cœnobita vel anachoreta fuit, cùm vxorem non habuerit. Hoc tu negare non potes, qui lib. 2. cap. 12. n. 43. dicis, *non poſſe Eccleſiam diſpenſare cum Monacho, vt retento Monachatu licitè vxorem ducat*: *quia*, inquis, *cælibatus eſt de intrinſecâ & ſubſtantiali ratione vitæ ac ſtatus monachalis cœnobitarum*. Igitur, quî verum, neminem obligari ad continentiam vi ſtatus Monachalis; cùm continentiam ſtatus Monachalis cœnobiticus includat, & multò magis anachoreticus, qui perfectionem vitæ cœnobiticæ ſupponit? Sanè Athanaſius, vt dixi, voluit probare Dracontio, Monaſterium ſeu locum Monachorum à ſæculo remotum non prohibere, quin Monachis malis eſſe liceat: & ad hoc exempla affert Monachorum, qui relictâ vitâ monaſticâ ſeſe con-

coniugiis & conuiuiis dederunt. An hi Monachi veri erant, nec ab inſtituto ſuo lapſi? Tui ſimiles ſine dubio erant.

SEXTVM EXEMPLVM.

Multò magis ridiculum facis, imò omnium mortalium inſipientiſſimum Auguſtinum, vt Apoſtolicos hæreticos, qui nuptias prorſus damnabant, confutandos ſuſceperit exemplo Sacerdotum & Monachorum liberos gignentium. Monachi & Sacerdotes coniugati erant ſcilicet Eccleſiæ decora, illius gaudium & corona, vt illos oſtentandos, & hæreticis, ſi fortè latebant, *obiiciendos* putauerit Auguſtinus. Vel fortaſſis adeò laborabat penuriâ militum Auguſtinus quos aduerſus Apoſtolicos adduceret in aciem, vt pudendam cohortem Clericorum cum vxoribus & liberis ſuis eduxerit. Sed miſerum Auguſtinum, ſi nullos niſi craſſos lectores haberet, tuique ſimiles, qui in puriſſimis illius ſcriptis vxoria Monachorum oblectamenta licita & ſancta ſeminarent! Abſit vt hoc ſenſerit Auguſtinus, qui contrarium illo loco quem citas dicit, ſi lectorem intelligentem habet. Verba eius ſunt iſta: *Apoſtolici*, Hæreſ.40.
qui ſe iſto nomine arrogantiſſimè vocauerunt, ex eo quòd in ſuam communionem non recipe-rent vtentes coniugibus & propria poſſidentes,

quales habet Catholica Eccleſia, & Monachos, & Clericos plurimos. Sed ideò iſti hæretici ſunt, quoniam ſe ab Eccleſiâ ſeparantes, nullam ſpem putant eos habere, qui vtuntur his rebus quibus ipſi carent. Hæc Auguſtinus. Tu illud, *quales habet Catholica Eccleſia, Monachos & Clericos plurimos*, refers ad vtentes coniugibus, & propria poſſidentes, qui ſenſus puerilis eſt, cùm Grammaticam habeat; ſenſum non habeat. Referri verò debet ád Apoſtolicos hæreticos arrogantiſſimos, & cum ipſis in conſtructione coniungi hoc modo: Apoſtolici, quales Catholica Eccleſia & Monachos & Clericos plurimos habet, nimirum his Apoſtolicis vitæ inſtituto ſimiles. quod ideò dicit Auguſtinus, vt oſtendat & quales Apoſtolici vitâ eſſent, & inſinuet, vitæ perfectionem, quam ſibi Apoſtolici arrogabant, in Catholicâ fuiſſe. Hanc eſſe mentem Auguſtini, colligitur ex eo quod ſtatim ſubdit: *Sed ideò iſti hæretici*, &c. explicat enim, in quo hæretici non erant, & in quo erant. Hæretici non erant, quia ab vxoribus abſtinebant, & propria non poſſidebant: nam hac ratione tales erant, quales habet Eccleſia Monachos & Clericos plurimos: Monachos omnes abſolutè; non autem Clericos omnes, ſed plurimos. Nam quamuis Clerici omnes in Sacris à coniugibus abſtinebant,

non

non tamen omnes proprietate rerum carebant; quamuis plurimi carerent, & Apoſtolicam profiterentur etiam paupertatem, & ideò abſolutè quales Apoſtolici erant. Igitur Apoſtolici ideò hæretici erant, quia maritis, & vtentibus rebus quibus ipſi carebant, ſpem ſalutis nullam dabant: in quo à Catholicis Monachis non vitæ ſanctitate, ſed opinionis ſuperbiâ diſſidebant. Itaque non (vt fingis) affert Auguſtinus Monachos & Clericos, vt probet nuptos ſaluari poſſe; ſed vt probet, ſanctitatem Apoſtolicam, de quâ ſuperbiebant Apoſtolici, in Eccleſiâ Catholicâ eſſe.

Præterea, quod omnium abſurdorum abſurdiſſimum eſt, ex horum Monachorum, quos fingis, nuptiis argumentum ducis & vehementer vrges, vt probes, Monachos voto ſolemni caſtitatis obligatos validè nuptias inire, imò argumentorum tuorum videtur præcipuum hoc eſſe. Nam cap. 11. n. 22. & n. 45. dicis, Gregorium Magnum Monachis nuptis, quos ad ſua Monaſteria tranſmittendos eſſe decernit, non ſeparationem matrimonij præcepiſſe. Vnde hoc noſti? *Quia*, inquis, *hoc matrimonium & Athanaſius & Auguſtinus expreſsè in Eccleſiâ permiſſum & approbatum fuiſſe teſtati ſunt: nimirum quia genus Monachorum eſſe in Eccleſiâ dixerunt, qui du-*

cunt vxores, & propria poſſident. Hæc tu. Monachi igitur iſti tui poſt votum ſolemne caſtitatis nupſerant: quo conceſſo, nihil poteſt abſurdius dici, quàm de his Auguſtinum contra Apoſtolicos loqui. Audi enim. Probare vult Auguſtinus, nuptos ſaluari poſſe, & nuptias ſanctas eſſe. Quî probat? quia nonnulli Monachi poſt vota nubebant. Quid ineptius? Nam eſto, nuptiæ hæ poſt votum validæ ſint, (de quâ quæſtione iam ſtatim;) tamen cùm, te fatente & conſentiente, nuptiæ tales Auguſtini iudicio *adulterijs peiores ſint*, cùm Paulus eos, qui tales nuptias contrahunt, *damnationem habere*, te verba Pauli ita exponente, pronuntiet; quid ineptius, quàm Auguſtinum adducere hos nuptos damnabiles, damnationis notâ à Paulo inſcriptos, vt probet nuptos ſaluari poſſe? Secundò, Cùm conſtet ex communi praxi vniuerſalis Eccleſiæ, tempore Auguſtini nuptos Monachos & Monachas (etiam Concilio Chalcedonenſi generali hoc præcipiente) fuiſſe excommunicatos, nec viuente complice admiſſos, ne quidem in pœnitentium numerum, vt tu fateris c. 11. n. 38. quid ſtultius cogitari poteſt, quàm Auguſtinum potiſſimùm hos maritos à Catholicâ Eccleſiâ ſine ſpe veniæ proſcriptos, idque ob nuptias impuras & ſacrilegas, adducere contra Apoſtolicos

ſtolicos vt eos confutet, quòd coniugibus vtentes à ſuâ communione reiicerent? Denique, Monachi iſti tui vel fuerunt voto ſolemni caſtitatis ad vitam cælibem obligati, vel non fuerunt. Si fuerunt, quomodo dicis, horum ſtatum non fuiſſe cœnobiticum, ſed alium ſtatum laxiorem laicorum aſperioris vitæ, non incompoſſibilem cum nuptiis, ſicut cœnobiticus erat? Nam ſi non minùs quàm cœnobitæ vouebant ſolemniter caſtitatem, certè ſtatus eorum non fuit minùs quàm cœnobiticus cum nuptiis incompoſſibilis. Si verò non vouerant caſtitatem, quid horum nuptiis vt exemplis pro validis Monachorum in voto nubentium nuptiis pugnas, cùm nuptiæ non votifragorum ſed alterius generis fuerint? Ita ſemper vel contra Patres ſentis, vel ineptè diſputas, vel à teipſo diſſides, vel ſimul omnia. Agnoſce diuinæ prouidentiæ manum, tibi mentem, quò te reuocet ad mentem, eripientis. Non es natus tam craſſo aëre, non es ingenio vel tam infelici, vel tam parum exculto, vt ita ſtupidè tecumque repugnanter perpetuò ſcriberes, niſi, vt olim nefandi peccatores, diuinitus cæcitate percuſſus eſſes. Peccatum peccaſti, Antoni; propterea inſtabilis factus es, nec potes in vnâ mente conſiſtere. Quod aliis exemplis adhuc luculentiùs commonſtrabo.

An-

Antonij Patres omnes à ſe ſtare impudenter iactantis, exemplaris conuictio, in quæſtione, An matrimonium poſt ſacrum Ordinem aut votum ſolemne contractum nullum ſit.

In hac quæſtione, antequam ad tuam impudentiam reuincendam accedo, tria dubia diſcutienda ſunt, in quibus pro ſolitâ leuitate tuâ negas & affirmas.

Primum eſt, An continentia conueniat Clericis, præſertim Chriſti Sacerdotibus, & an vtile ſit eam vouere? Lutherani negant, Catholici affirmamus: tu cum vtriſque affirmas & negas. Affirmas lib. 2. cap. 10. n. 35. his verbis: *Continentiam perfectam ſacro Ordini eſſe conuenientiſſimam, plurimumq́; decere vt Chriſti Sacerdotes aut virgines aut cælibes ſint, contendunt Patres Latini pariter & Græci.* & c. 12. n. 16. *Votum liberum*, inquis, *cum pleno rectæ rationis vſu, de bono opere ſuſceptum laudo, approbo, extollo, arripio etiam cum diuinâ gratiâ, & omnibus arripiendum conſulo, ac præſertim votum perpetuæ continentiæ*, &c. *vt promptiùs, ſublatis peccandi occaſionibus & commoditatibus, Deo ſeruiatur.* Hæc prorſus Catholica ſunt & pia. Iam lib. 2. c. 10. n. 90.

Luthe-

Lutherano ſpiritu ſeu vento potiùs in contrariam partem abriperis, aſſeriſque in coniugio quàm in cælibatu quietiùs Deo ſeruiri: nec pati vis vt Sacerdotes ab vxoribus vel tantiſper abſtineant, dum *ſacris ordinariis miniſteriis vacant, iugumq́; hoc vocas intolerabile, quod Patres noſtri tolerare non potuerunt. Imò*, inquis, *ordinarius, moderatus, & commodus vſus coniugij multò habiliorem facit hominem, etiam ad diuina pacatiùs & tranquilliùs conſideranda, & Deo quietiùs inſeruiendum.* In huius dicti probationem adducis Chryſoſtomum, qui quodam loco matrimonium comparans non cum virginitate aut vitâ cælibe Deo dicatâ, vt tu putas, ſed cum vitâ in ſæculo liberâ & ſolutâ, & ideò periculis peccatorum obnoxiâ, dicit illud portum eſſe. *In ſublimi poſitus*, inquis, *hic Pater doctiſſimus, mundumq́; intuens vniuerſum, videtur in nuptiis portum, in vitâ cælibe turbatum mare fluctuſq́; indomitos ac deſpumantes vndique conſpicari. Naturam conſulamus. Profectò fumus, qui non exhalatur, totam domum reddit fuliginoſam; ſecùs eſt ſi aptato camino erumperet. Et cerebrum obſeſſum occupatumq́; vaporibus cruditatum in ſtomacho indigeſtarum, ineptum eſt ad philoſophandum. Quòd ſi ſubinde euacuaretur à cruditatibus, in debitâ conſeruatur temperie ac perſpicuitate.* Hæc tu, adeò prio-

Homil. 21. in Geneſ.

prioribus, quæ citaui ex te, piè dictis tuis repugnantia, vt quod de cerebro dicis ſtomachi cruditatibus perturbato & inepto ad philoſophandum, de tuo dici videatur. Nam ſi verum ſit, quod iam dicis, *coniugij moderatum vſum* homines *habiliores & promptiores reddere, vt diuina contemplentur*, Deo quietiùs ſeruiant, orationi tranquilliùs vacent; quàm vitam omnino caſtam, quæ ſe penitus à carnis oblectamentis, quantum vitæ conditio patitur, abſtrahit: quomodo verum quod dixeras, *virginalem & pudicam vitam ſacro Ordini multò conuenientiſſimam eſſe*; cùm dubium non ſit, quin illud genus vitæ ſacris Miniſtris maximè conueniat, quod eos, quò Deo quietiùs vacent, maximè adiuuat, & diuinarum cogitationum capaciores efficit? Si coniugium ſit, (vt iam concionaris) portus tranquillus, virginitas verò aut cælebs vita turbatum mare, ſordeſque deſpumet in illius profeſſorem, nec ſinit eum cum Deo pacatè viuere; cur votum continentiæ *laudas, extollis, arripis, & omnibus arripiendum, præſertim Clericis, conſulis*, tamquam quod occaſiones præbeat Deo commodiùs vacandi, & peccandi pericula amoueat? Non vides te tamquam turbatum mare contrariis affectionibus velut ventis in ſententias inter ſe pugnantes agi, & ad ſcopulos cõtradictionum alli-

allidi, denique cruda, indigeſta, parum modeſta deſpumare, imò deſpumare confuſionem tuam? Nam à te quęro, an has quas narras ſtomachi cruditates, dum nobiſcum eras, vſu coniugij euacuaſti, an non euacuaſti? Si euacuaſti, iam deſpumas confuſionem tuam: fateris enim, quod priùs negaueras, vxorem iam pridem apud nos te habuiſſe, illaque vſum eſſe, &, Agar inductâ, Saram, quam vocas tuam pulcherrimam, domo exturbas. Si non euacuaſti, etiam ſic deſpumas confuſionem tuam. Nam cùm dicas, his cruditatibus vſu coniugij non euacuatis cerebrum reddi ineptum ad philoſophandum, & ad diuina contemplanda torpidum; ſequitur, te, ſi tamdiu apud nos libidine domitâ & compreſsâ vixiſti, torpido & ad philoſophandum inepto ingenio eſſe: quem tamen torporem tuum ex nimiâ compreſſione libidinis tibi contigiſſe numquam dixerim. Ex affectionum tuarum intemperie naſcitur hæc ſtupiditas, Antoni, vt tecum ita perpetuò pugnes: quod hîc iterùm tibi accidit. Nam dicis, te *continentiæ perpetuæ iugum arripere, & omnibus arripiendum conſulere; & tamen iugum continentiæ vel ad tempus, dum ſacris miniſterijs vacatur, intolerabile vocas, quod patres noſtri tolerare non potuerunt*. Non ſapis enim, qui te voto obligas ad ferendum continentiæ iugum,

gum, quod intolerabile ducis. Si Patres continentiæ iugum iſtud ferre non potuerunt, numquid tu melior es Patribus noſtris, vt illud feras? At amabò te, Antoni, Patres tuos & noſtros hoc loco quos appellas continentiæ vel ad tempus impatientes? An Apoſtolos? at hos ſemper, nedum tempore quo altari inſeruiebant, ſe continuiſſe certiſſimum eſt. An Patres Græcos? at hi qui antiquitus ſummam caſtimoniam in ſacris miniſteriis coluerunt: & quamuis nunc coniugati ſint, tamen, vel te fatente l. 2. c. 10. n. 62. à coniugij vſu pro tempore miniſterij ſui, quod per vices obeunt, hodieque abſtinent. An Patres Latinos? at hi perpetuam continentiam ſeruarunt, & votis ac præceptis ad illam ſe ſuoſque obligatos eſſe voluerunt. An concubinarios Sacerdotes & perditæ vitæ, quales ſingulis ſæculis nonnulli exſtiterunt? at ab his ſecundùm carnem prognatus non es, vt eos Patres tuos dicas, nec dices, opinor, eos te tamquam Patres tuos ſpiritu & vitâ imitari. An Anglicanos Epiſcopos? non facilè crediderim, te Venetiis iſta ſcribentem adhuc tam humilem fuiſſe, vt illos Patrum noſtrorum nomine inſignieris, quin potiùs eorum Patrem & Principem nimiùm credulus te futurum ſperabas. Nec video, quid in illis adhuc videris, vt continentiæ ſaltem tempora-

riæ

riæ iugum ferre non poſſe tam certò ſtatuas, quod ne ſemel quidem adhuc probauerint. Itaque planè diuinare non poſſum, qui ſint iſti, qui ne temporariæ quidem continentiæ iugum vmquam ferre potuerint;& tamen ita illuſtres fuerunt, vt Patrum noſtrorum nomine inſigniri mereantur. Quidquid ſit, tu qui continentiam vel ad tempus impoſſibilem putas & intolerabile iugum, tamen perpetuam continentiam arripis,&arripiendam omnibus conſulis; numquam, opinor, niſi reſponſis tuis plus conſilij inſit,Regi Sereniſſimo à conſilijs futurus es.

Secundum dubium eſt, Qui caſtitatem vouere debeant? Quo in dubio tui ſimilis es, in inconſtantiâ conſtantiſſimus. Nam duo inter ſe pugnantiſſima,quorum neutrum verum ſit,dicis. In primis,iuniores ad vota ordinariè admitti nõ oportere dicis. *Ordinariè*, inquis, *iuuenculæ non ſunt ad profeſſionem caſtitatis admittendæ. Et experientia, quæ docuit Paulum,docet totum mundum;vt meritò Concilium Chalcedonenſe c.15. Diaconiſſam ante annos 40.nolit ordinari. Et Eccleſiaſtica ſtatuta velari virgines prohibent in ætate iuuenili. Ac niſi tam arctæ eſſent noſtrorum Monaſteriorum, hoc eſt, vt plurimùm potiùs gynæceorum, ſiue honeſtorum muliebrium carcerum cuſtodiæ, cum tantâ commoditatis imò poſſibilitatis amotione*

ſæpiùs adhuc, quàm ſolemus, videremus id quod de ſuis viduis iuuenculis viderat Paulus. Hæc tu lib. 2. c. 11. n. 11. At ibidem, numero qui proximè ſequitur 12. decem lineis interpoſitis, planè contrarium dicis, nullam prorſus iuuenculam virginem à profeſſione caſtitatis reiiciendam. *Paulus*, inquis, *ſanè anteuertit, ne iuuenculæ admittantur ad profeſſionem; ne poſteà ſpontè nubant, & fidem frangant, vt fieri ſolebat: quod in viduis facilè ſeruari poterat; non enim deerant viduæ prouectæ ætatis, quæ ad miniſteria Eccleſiaſtica ſufficerent & ſuperabundarent*, &c. *At verò in virginibus id non eſt faciendum, quia nulla eſt excludenda, ſed omnes quæ bonum habent propoſitum, etiam ad profeſsionem admittendæ.* Iſta quî cohærent? Virgines in ætate iuuenili non ſunt ordinariè ad profeſſionem admittendæ, & tamen omnes virgines iuuenculæ, nullâ excluſâ, quotquot habent bonum propoſitum, ad profeſſionem admittendæ. Vtrumque tamen falſum eſt. Nam virgines in iuuenili ætate ad caſtitatis profeſſionem admitti conuenit, non tamen omnes nullo diſcrimine, ſed probandæ ſunt & examinandæ, nec niſi quæ conſtantes futuræ creduntur, & profeſſioni aptæ, admittendæ, quæ Catholica praxis eſt.

Tertium dubium eſt, An vota caſtitatis obli-

obligent, vt propter leuitatem & inconſtantiam ſolam ſine aliâ neceſſitate nec ſolui poſſint nec debeant? Multis locis votum ob ſolam vanitatem & leuitatem vouentis ſolui poſſe ſtatuis. Nam cap. 10. n. 49. affers illud Pauli, *Qui non ſe continent, nubant; vnuſquiſque autem propter fornicationem vxorem ſuam habeat. Quod ipſemet*, inquis, *dicit eſſe indulgentiam, & non imperium, vt Sacerdos potiſsimùm non teneatur vxorem ducere, ſi nolit, & poßit continere? Si tamen nolit, indulgetur ei tamquam minùs bonum, bonum tamen, vt vxorem ducat.* Hæc tu, valdè ſcilicet indulgens Præſul. Quod tamen neſcio an vllus ante te hæreticus ſenſerit, vt Paulus potiſſimùm de Sacerdotibus dixerit, *Vnuſquiſque propter fornicationem vxorem ſuam habeat*; quamuis nonnulli ab hac indulgentiâ excludendos Sacerdotes non putauerint. Hoc conſtat, te Sacerdotibus voto caſtitatis obſtrictis, ſi nolint continere, quamuis poſſint, nuptias indulgere. Nam te fatente, tempore Apoſtolorum Diaconiſſæ & Diaconi, nedum Sacerdotes votum debebant emittere caſtitatis: & tamen Sacerdotibus Paulum indulſiſſe nuptias putas. Ex quo ſequitur, Sacerdotem, etiamſi nulla neceſſitas vrgeat, nec vllâ graui tentatione compellatur ad nuptias, ex ſolâ leuitate animi, quia iam poſt 1. Cor. 7.

 votum

votum continere nolit, nubere poſſe. Hoc multò euidentiùs aſſeris c. 11.n. 12.explicans locum Cypriani, quì de quibuſdam virginibus dicit: *Si perſeuerare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt vt nubant, quàm vt in ignem delictis ſuis cadant.* Cyprianum de virginibus voto ſolemni caſtitatis obnoxiis loqui contendis, contra quod obiicit Bellarminus, numquam dicturum fuiſſe Cyprianum de virginibus iſtiuſmodi, ſi poſſint perſeuerare, & nolint, nubant. Nam eſto, quando graues tentationes vrgent vt continere quiſpiam vix aut ne vix quidem poſſit, melius ſit nubere quàm vri: tamen (inquit Bellarminus) poſt votum licitum eſſe nubere illis, quæ poſſunt perſeuerare, ſolùm quia nolunt, ne Caluinus quidem aut Petrus Martyr affirmaret. Quid tu? reſpondes, *poſſe Caluinum, & Martyrem, & quemcumque maximè Catholicum virum affirmare, vt virgines Deo dicatæ nubant; quia etiamſi poſſint, nolunt tamen perſeuerare. Quia,* inquis, *poſt votum licet non patiantur tentationes ex parte libidinis, ſi tamen patiantur ex parte libertatis, vt ſint in ſæculo liberæ, domos proprias habeant, ornatæ incedant, famulis & ancillis ſtipentur, & ſimilibus perfruantur; tamen, inquit Cyprianus, & propter iſta nubant.* Hæc tu: vbi concedis apertiſſimè, ſolam leuitatem, vanitatem & inconſtantiam animi,

Lib. 1. Epiſt. 11.

licet

licet nulla alia grauis cauſa ſuppetat, ſufficere, vt vota ſoluantur. *Etiam propter iſta nubant.* At lib. 2. c. 12. n. 44. valdè ſeuerus exactor votorum es. *Sanè*, inquis, *nemo poteſt ſine causâ diſpenſare cum Monacho vero, vt non ſit ampliùs Monachus: quia ſine causâ hic non poteſt eſſe deſertor ſui propoſiti, neque licet ei ſine damnatione priorem fidem irritàm facere; neque poteſt vllus homo concedere, vt hoc licitè faciat.* Ita tu. Quod probas ſententiâ Cæſarij Arelatenſis, quam dicis tremendam eſſe. *Hoc totum dico vobis, fratres chariſſimi, ne quis de vobis putet ſe habere liberam poteſtatem diſcedere & perdeſcedere cum diabolo in infernum. Ergo ego, qui factus ſum Monachus, qui deſij eſſe ſæcularis, aut Monachus ſaluor, aut aliter non ſaluor.* Hæc Cæſarius: *quæ omnia*, inquis, *in hoc rigore accipienda ſunt, vbi Monachus verè ex diuinâ vocatione Monachiſmum ſuſcepit, neque vlla penitus legitima cauſa illum, ſed ſola mentis leuitas & mundi illecebræ auocarunt.* Hæc tu: quæ planè è diametro pugnant cum ijs quæ priùs dixeras. Nàm priùs dixeras, virgines Deo ſacras, & votis ſolemnibus dicatas, poſſe cum diſpenſatione licitè nubere, etiamſi nullâ iuſtâ de causâ, ſed ſolis mundi illecebris moueantur. Hoc te dicere, patet: nam dicis, ſi virgines Deo ſacræ non patiantur vllas tentationes, *niſi ex parte ſolius*

libertatis, quia nolunt ampliùs in Religione viuere, ſed cupiunt vt ſint in ſæculo liberæ, domos proprias habeant, ornatæ incedant, famulis & ancillis ſtipentur, adhuc, inquis, & propter iſta nubant. Sed qui ex talibus deſideriis voti diſpenſationem expetunt & obtinent, ſolis mundi illecebris à profeſſione auocantur, nec aliam, te fatente, cauſam habent, niſi ex parte voluntatis; quia quod priùs voluerunt & vouerunt, iam vanâ cupiditate victæ nolunt. Igitur concedis, virgines Deo ſacras poſſe à voto ſolemni caſtitatis per diſpenſationem liberari, vt propter ſolas mundi illecebras profeſſionem deſerant, & licitè nubant; cùm tamen alio loco, vt vidimus, nullum hominem talem diſpenſationem dare poſſe dicas; vt te perpetuò ita à teipſo diffidere, prorſus mirabile ſit.

Antonij iactantia.

RESTAT præcipua quæſtio, An qui cum voto ſolemni caſtitatis matrimonium contrahunt, quamuis contrahendo peccent, tamen validè contrahant? In quâ quæſtione ſolent vehementes eſſe apoſtatæ noſtri, & pro coniugiis ſuis, tamquam pro aris & focis, dimicare. Neque tui tantum refert, vel illi tam ſoliciti ſunt, vt vxores ducendo non peccent;

cent, neque damnationem incurrant, quàm vt ſaltem valida connubia ineant. Verentur enim, ſi doctrina Catholica vbique obtineat, iſtiuſmodi nuptias nullas eſſe, ne, quæ nubere ipſis velint, feminæ nullæ reperiantur, quod magis quàm vel peccatum vel infernum timent. Satis enim conſtat, hoc genus Miniſtrorum, præſertim apoſtatarum, vel apud ſuos ita *infames* & contemptibiles eſſe, vt eis nubere ne Proteſtantes quidem honeſtæ velint, vt quidam Germaniæ Miniſter conqueritur. *Vſu venit*, inquit, *cùm quis iuuenis virginem aliquam ſibi in matrimonio locari poſcit, vt eum parentes virginis, vel etiam ipſa virgo, ſciſcitentur, vtrùm Prædicans fieri cogitet. Habemus etiam* (*quod multò magis horrendum eſt auditu*) *eorum exempla, qui ne repudiarentur, hac lege & conditione matrimonium contraxerunt, vt ſe Prædicantes numquam fore iureiurando promitterent. O Deus! ne in furore tuo arguas nos.* Hæc Miniſter. Igitur te vel alium apoſtatam vxorem ducendo peccare, & damnationem incurrere, non grauatè concedis: tamen valere nuptias veſtras, ſi contrahatis, acerrimè contendis, & noſtram qui illas irritamus doctrinam appellas & impuram, & perniciosam, & nouam. *Peccare quidem*, inquis c. 11. n. 9. *voto ritè obſtrictos, dum à cælibatu tranſeunt ad coniugium, facilè*

Andreas Muſculus De prophetiâ, fol. 27.

 pote-

poterimus concedere, &c. *vinculum tamen matrimonij diſſoluere numquam poterimus, neque potuit vmquam tota Eccleſia, quæ ante hanc nouam doctrinam talia matrimonia vera eſſe, & valida, & ſemper retinenda, ſemper agnouit.* & num. 8. *In totâ antiquitate non eſt reperire vllum aut Patrum aut Conciliorum dictum, quo matrimonia hæc irrita aut nulla determinentur.* & n. 51. *Cyprianus, Baſilius, Ambroſius, quin etiam Athanaſius, Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, & tota SS. Patrum caterua celeberrima, matrimonia hæc approbauit.* Hæc tu. Dicam, Antoni, quod cenſeo. Vides fœditatem coniugij huius, pudet te illius: hoc fatereris, niſi veritatis conſcientiam voluptas vinceret. Hoc mihi perſuadeo, quia cateruâ Patrum celeberrim â cingis has nuptias, quæ non niſi vana & inania Patrum nomina ſunt, quibus ſtulti terrentur. Si non cæcus es, aperi oculos, & hoc te facere ad oculum tibi oſtendam, & ſex argumentis conuincam.

Conuincitur ſex argumentis.

Primum argumentum ex Patrum verbis.

In cateruâ celeberrimâ Patrum, qui tuentur nuptias apoſtaticas, ponis Baſilium, Ambroſium, Cyprianum, Athanaſium, Epiphanium, Hieronymum. In primis ex Ambroſio pro nuptiis apoſtatarum teſtimonium neque graue, neque leue, neque verum, neque ap-

parens,

parens, ſed nullum, nullum inquam attuliſti. An non igitur hoc loco Ambroſius merum nomen & inanis vmbra eſt? Ex Athanaſio ſolùm affers Monachos fictos illos in cerebro tuo, de quibus ſuprà, qui vxorem ducere & propria poſſidere poterant. Quorſum? eſto enim, fuerint olim in Eccleſiâ talia monſtra Monachorum, qui neque caſtitatem neque paupertatem vouerent, ſed tantùm *laici eſſent aſperioris vitæ*; quî probas inde, alios Monachos caſtitatem profeſſos, validè contrahere potuiſſe? Ex Chryſoſtomo hoc ſolum habes: *Lõgè plures videas lapſos ex coniugatorum, quàm ex Monachorum ordine. Neque enim tam multi ex Monaſteriis ad matrimonia accedunt, quàm ex iugali toro ſe ad ſcorta recipiunt. Matrimonia*, inquis, *appellat, ideò agnoſcit*. nugæ. Nos Lutherum cum Borâ Moniali nuptias celebraſſe dicimus; an proptereà nos coges Lutheri nuptias vt validas approbare? Nuptiæ fuerunt ſpecie, reipsâ adulteria: quæ vt à profeſſo concubinatu & à vero coniugio diſtinguantur, nuptiæ Monachales dici debent. Hieronymum fusè vrges, qui virginem quamdam, quæ cum ſcandalo viuebat, hortatur potiùs ad nuptias. ſed illa ad ſummum in ædibus paternis caſtitatem priuatâ deuotione vouerat; virginem fuiſſe publico & ſolemni ritu Deo

Aduerſ. vitup. vitæ Monaſtic.

Epiſt. 47.

 dica-

dicatam, non probas. Baſilius reprehendit virgines, quæ viro mortali nubere renuunt, & ſe nupturas Chriſto & caſtitatem voturas dicunt, tamen interim otioſæ vagantes, curioſæ per domos & angiportus vagantur. *Has*, dicit, *profeſſæ virginitati pudendas fore, & ideò melius eſſe vt ante profeſſionem nubant.* Quorſum hæc affers? dicis loqui Baſilium de iam profeſſis, non de futuris. Hoc non probas, imò contra Baſilium hoc dicis. Nam ſi profeſſæ iam erant, *virginitati profeſſæ iam pudendas* eſſe, non *futuras*, Baſilius dixiſſet. Cyprianus, inquis, dicit de virginibus, *Si continere nolint, nubant*. permittit profeſſis vt nubant, ergo nuptias validas putat. erras. loquitur de virginibus quæ virginitatis profeſſionem meditabantur, necdum tamen eam profeſſæ erant. Nam cum profeſſis, ſi poterant optimè virginitatem ſeruare, vt ſolùm quia nollent eam ſeruare nuberent, diſpenſare non potuiſſe Cyprianum, vel vllum mortalium, tu dicis. Igitur, vt dixi, hi ſex Patres, quos nuptiarum veſtrarum poſt vota milites præſidiarios facis, mera nomina & puerorum terriculamenta ſunt.

Secundum argumentum ex dicto Antonij.

Deinde (vt tibi pro nuptiis validis apoſtatarum Patres omnes ſtare vociferanti tuo dicto

dicto os obſtruam) addo, etiamſi probes, Patres hortari virgines profeſſas ad coniugium, tamen inde, validas Patrum iudicio apoſtatarum nuptias fuiſſe, non poſſe concludi. Quomodo? inquies: ſolemni caſtitatis obſtrictæ ſunt. Imò per me licet etiam ſolemniſſimo obſtrictæ ſint. Patres eas ad nuptias hortantur, & ideò nuptias illas ſaltem validas putant; imò ſi vis, non modò validas & veras, ſed etiam licitas & ſanctiſſimas putent. Igitur virgines poſt votum ſolemne caſtitatis non modò validè, ſed etiam ſanctè nubere poſſint. Prorſus. Nec adhuc aliquid contrarium doctrinæ Catholicæ protuliſti. Aliud eſt enim, virgines poſt votum ſolemne nubere; aliud, cum voto ſolemni ſeu voto ſolemni obſtrictas nubere. Nam quæ poſt votum ſolemne obtentâ voti legitimâ diſpenſatione nubunt, poſt votum emiſſum nubunt; ſed non cum voto, cuius vinculo iam ſolutæ nubunt, & ideò validè, licitè, ſanctè nubere poſſunt. Dices, Quî conſtat, virgines illas, in quibus Patres nuptias probant, cum voti diſpenſatione nupſiſſe? Non niſi ex capite meo hoc dicitur. imò, Antoni, ex capite tuo dcitur, vel ſaltem ex libro tuo, in quo fortaſſis nonnulla ſunt, quæ in capite tuo numquam fuerunt. Has enim virgines cum diſpéſatione nupſiſſe vt certum ſtatuis.

Cypria-

Cyprianus, inquis l.2. c.11.n.15. *vt inceſtam commixtionem tolleret, permittit virginibus Deo dicatis coniugalem, cum diſpenſatione proculdubiò in voto & profeſſione caſtitatis: quam diſpenſationem ex legitimis cauſis ſancti Epiſcopi abſque Romani Pontificis aut ipſius Pœnitentiariæ reſcriptis, ab ipſorum pendere poteſtate non dubitarunt*. Hæc tu. Iam vide, quàm ſis abſurdus. Quid tibi probandum eſt? voto ſolemni obſtrictos, ſi à voti obligatione ſoluantur, validè nubere? Quis hoc vnquam negauit? quis apoſtatas, quos tu velut eorum Primas defendendos ſuſcipis, hoc nomine accuſat? *Imò*, inquis ibidem, *validè nubunt, etiam ſine vllâ diſpenſatione*. Sed hoc quî probas? Sacras Virgines hortati ſunt Patres vt nuberent, quia non caſtè viuebant: nupſerunt illæ virgines proculdubiò cum legitimâ diſpenſatione in voto & profeſſione caſtitatis. Igitur nuptiæ apoſtatarum, qui diſpenſatione non obtentâ ſed contemptâ nubunt, validæ ſunt? nihil minus. Si dicas, ſaltem hinc ſequi, alios Epiſcopos, præter Romanũ, diſpenſare olim potuiſſe in voto ſolemni caſtitatis; vagaris à ſcopo. Non hæc modò quæſtio agitatur, quis in voto diſpenſare poſſit. Eſto, Epiſcopi Iure diuino hanc poteſtatem habuerint; ſed eam ſibi Pontifex poſtmodum reſeruauit: quod eum facere hoc Ope-

re

re poſſe oſtendo, vel quod verius eſſe infrà demonſtro. Hæc poteſtas diſpenſatiua in votis ſolemnibus ad ſolum Romanum Pontificem Iure diuino pertineat, aliique olim Epiſcopi hanc poteſtatem ab ipſo habuerint. Quid tum poſteà? *Proculdubiò*, inquis, *cum diſpenſatione in voto virgines illæ nupſerunt.* Igitur proculdubiò tu nugaris, qui his exemplis probare niteris, nuptias votarum Deo virginum, quæ ſine diſpenſatione nubunt, validas eſſe.

Tertium argumentum ex Antonij confeſſione.

Oſtendi ſatis, opinor, perſpicuè, tuam quam iactas pro nuptiis apoſtatarum, Patrum cateruam nullam eſſe. Iam quòd hi Patres nuptias iſtiuſmodi inceſtas vt irritas & nullas damnent, tuâ confeſſione conuincam, atque adeò te contra cognitam veritatem & conſcientiam ſcribere, nullum exſtare Patris aut Concilij dictum, quo nuptiæ iſtæ vt nullæ damnentur. Nam Patres, præter Auguſtinum, de quo infrà, tam Græcos quàm Latinos hæc coniugia vt nulla reprobare, ex tuis dictis hoc ſyllogiſmo oſtendo. Auctores illi quos Auguſtinus De bono viduitatis cap. 10. refellit, matrimonia poſt votum caſtitatis tamquam irrita & nulla damnabant. Sed hi fuerunt Patres tam

Græci

Gręci quàm Latini, Baſilius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, &c. Igitur hi Patres Catholici, tam Græci quàm Latini, matrimonia poſt votum ſolemne caſtitatis, vt irrita & nulla damnabunt. Maior probatur ex verbis Auguſtini & tuá confeſſione. Auguſtini verba ſunt: *Proinde*, inquit, *qui dicunt talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potiùs adulteria, non mihi videntur ſatis acutè ac diligenter conſiderare, quid dicant. Fallit eos quippe ſimilitudo veritatis. Quia enim coniugium Chriſti dicuntur eligere quæ Chriſtianâ ſanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si viro ſuo viuo, quæ alteri nubit adul-*
Mat. 19, 9. *tera eſt, ſicut ipſe Dominus in Euangelio defi-*
Rom. 6, 9. *niuit? viuo ergo Chriſto, cui mors vltrà non dominatur, quæ coniugium eius elegerat, ſi homini nubit, adultera eſt. Qui hoc dicunt, acutè quidem mouentur, ſed parum attendunt, hanc argumentationem, quanta rerum ſequatur abſurditas. Cùm enim laudabiliter, etiam viuente viro, ex eius conſenſu continentiam femina Chriſto voueat; iam ſecundùm iſtorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipſum Chriſtum, quod ſentire nefas eſt, adulterum faciat, cui viuente viro nubit.* Hæc Auguſtinus: quem Theologi de voto ſimplici, non de ſolemni exponunt. Sed hoc iam non agitur. Conſtat ex his verbis, Auguſtinum hoc loco diſpu-

putare contra eos, qui dicunt, nuptias poſt votum caſtitatis non eſſe nuptias, ſed adulteria. quod tu fateris c. 11. n. 30. vbi poſt citata hæc Auguſtini verba dicis: *Auguſtinus certè diſputat contra illos, qui voto ſoluebant matrimonia.* nihil certius. Sed Auguſtinus diſputat contra Patres Catholicos Græcos & Latinos, nominatim verò contra Baſilium, Chryſoſtomum, Ambroſium, Hieronymum. Hoc quî probari poteſt? tuâ confeſſione, M. Antoni, qui ibidem c. 11. num. 30. poſtquam dixiſſes, Auguſtinum diſputare contra eos, qui voto ſoluebant matrimonia, ſtatim ſubdis, *Eos*, inquis, *refellit, profectò Baſilium, Hieronymum, Ambroſium, Chryſoſtomum, qui adulterium ponebant in his nuptiis, in quibus viuente Chriſto earum ſponſo alius ſponſus eligitur. Atqui illi adulterium externum ponebant, quia votum ſolemne & publicum conſiderabant.* Hæc tu: igitur hi Patres voto matrimonia ſoluebant, & nuptias poſt votum ſolemne non adulteria ſolùm ſpiritualia & myſtica, vt alia peccata ſunt, ſed vera, propria, externa exiſtimabant. Et tamen hîc etiam obſerua incõſtantiam tuam. quod tam affirmatè iam dicis, Auguſtinum prædictos patres refelliſſe, in dubium vocas num. 42. *Ceterùm*, inquis, *ſimul cum Baſilio & Ambroſium & Chryſoſtomum & Hieronymum,*

mum, ſi quis velit eos hæc matrimonia irrita cenſuiſſe, quod non credo, Auguſtinus ſatis ſuperq́; confutauit. Hæc tu: quàm leuis & inconſtans! Priùs dixeras, nullum exſtare in totâ antiquitate dictum, quo hæc matrimonia irritentur: nunc dicis, ſi quis Patres velit hæc matrimonia irritaſſe, ſatis eos confutauit Auguſtinus. Priùs dixeras quòd Auguſtinus Baſilium, Hieronymum, Ambroſium, Chryſoſtomum profectò, id eſt certo certiùs, refellerit, quia matrimonia votifragorum vera adulteria externa, non nuptias faciebant: nunc dicis, *ſi hoc ſenſerint, quod non credo, ſatis eos refellit Auguſtinus.* Cur tam varius, tam incertus es? niſi quia vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.

Quartum argumentum ex Patrum verbis contra iſtiuſmodi nuptias.

Præterea, quòd Patres hæc apoſtatarum coniugia, vera adulteria, non nuptias putauerint, præter tuam tam claram confeſſionem, eorum verba non minùs clara probant. Baſilius: *Virginitatem Domino profeſſæ blandâ poſtmodum voluptate delinitæ, ſtupri ſcelus honeſto coniugij* NOMINE *obtegere cupiunt.* Chryſoſtomus ad Monachum quemdá lapſum: *Angelorum ſocietatem relinquere, adulterij crimen incurrere eſt. Quamuis frequenter nuptias*

De verâ virginit. poſt medium.

vo-

VOCES, *ego tamen* ADVLTERIO *peius exiſtimo.* Ambroſius: *Quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam* NVPSIT, *iam immortali iuncta eſt viro: ſi voluerit nubere communi lege connubij*, ADVLTERIVM *perpetrat, ancilla mortis efficitur.* Hieronymus: *Virgines, quæ poſt conſecrationem nupſerunt, non tam ſunt adulteræ, quàm inceſtæ.* His addimus Cyprianum, qui dicit, virgines, quæ Chriſto dicatæ ſunt, *ſi viro alicui miſceantur, non mariti ſed Chriſti adulteras eſſe.* Loquitur autem de externo connubio virginũ cum Chriſto, quod ſubſequens matrimonium irritet. Hoc probo, quia tu c. 11. n. 17. ita ſcribis: *Eadem penitus Cypriano in omnibus conſentiens & ſenſit & ſcripſit Baſilius.* Si Baſilius penitus in omnibus ſentit cum Cypriano, certè etiam Cyprianus penitus in omnibus ſentit cum Baſilio. Sed Baſilius ſentit, inter Chriſtum & virginem profeſſam verum connubium externum intercedere, & ſi cum altero viro poſtmodum ſit, verum adulterium committere, vt tu fateris n. 18. *Verum adulterium*, inquis, *non eſt in nuptiis apoſtatarum, ſed tantùm myſticè & ſpiritualiter, vt optimè Auguſtinus contra Baſilium.* Hæc tu. Si contra Baſilium diſputat Auguſtinus voto matrimonia ſoluentem, nec matrimonia vera ſed vera adulteria in illis commiſtionibus agnoſcentem, etiam

Ad virgin. lapſam c. 5.

Lib. 1. in Iouin.

Lib. 1. Ep. 11.

G con-

contra Cyprianum diſputat, ſi verum ſit quod dicis, Cyprianum cum Baſilio penitus in omnibus ſentire & ſcribere. & ideò cùm dicit Cyprianus, virgines, Chriſti nuptas eſſe, & ſi peccent, Chriſti adulteras eſſe; de vero externo connubio, de vero externo adulterio loquitur. His duobus neceſſe eſt vt addas Epiphanium, de quo n. 19. *Nihil*, inquis, *ab his* (Cypriano & Baſilio) *diſcrepat Epiphanius*. Si nihil diſcrepat, ergo non minùs quàm Baſilius in nuptiis poſt votum ſolemne *verum adulterium* agnoſcit. Quòd ſi verum adulterium agnoſcit, certè non veras nuptias: nec enim eadem copula verè nuptialis & verè adultera eſſe poteſt. Igitur habemus te tam Patrum verbis quàm tuâ confeſſione conuictum, Patres tam Græcos quàm Latinos matrimonia poſt votum ſolemne velut irrita & nulla damnare, vno excepto Auguſtino, de quo poſteà dicam.

Quintum argumentum ex dictis Romanorum Pontificum.

Patribus Græcis & Latinis annumeras Romanos Pontifices, nuptiarum poſt votum patronos; quorum dicta apertiſſima contra tuam ſententiam, tamquam pro tuâ ſententiâ faciant, magnâ audaciâ citas.

Primò citas Innocentium, qui Moniales profeſſas & velatas, ſi nupſerint, ſtatuit non ad-

admitti ad pœnitentiam, niſi is cui ſe adiunxerit, de ſæculo deceſſerit: quia nimirum quamdiu viuit vir cui ſe coniunxit, & ab eo non diſcedit, incapax pœnitentiæ eſt; quia in continuo adulterio viuit. Sicut vxor quæ relicto primo viro, ſecundo nubit, non eſt capax pœnitentiæ, niſi vel adulter vel vir eius obierit; tunc enim legitimè pœnitere poteſt. Nam ſi adulter obiit, iam pœnitere peccati poteſt, ſublato per mortē eius ſtatu peccandi. Si verò vir eius legitimus obierit, tunc cum adultero verum matrimonium contrahere poteſt, ſi nolit diſcedere, & ita ſe pœnitentiæ capacem reddere. Sic virgo profeſſa, ſi vir cum quo adultera eſt, moriatur, agere pœnitentiam poteſt, non autem eo viuente, niſi ab eo diſcedat. Audiamus Innocentium. *Si de omnibus*, inquit, *hæc ratio cuſtoditur, vt quæcumque viuente viro alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus ex eis defunctus ſit; quantò magis de illâ tenenda eſt, quæ immortali ſe ſponſo coniunxerat, & poſteà ad humanas nuptias tranſmigrauit?* Quid dici clarius poteſt, vt nuptiæ apoſtatarum perpetua adulteria putentur? & tamen hæc citas tamquam nuptias iſtas non adulteria, ſed legitima coniugia Innocentius diceret. quanta vel ſtultitia vel impudentia!

Epiſt. 1. §. 12. 13.

Epiſt. 95. Secundò citas Leonem. Is *Monachum, qui vel ad militiam, vel ad nuptias deuolutus ſit, publicæ pœnitentiæ ſubijcit ſatisfactione purgandum.* Quid inde concludes? Matrimonium validum eſſe? tunc certò deliras. Quid enim Leo dicit, quod non potiùs contrarium innuat? Nam publicæ pœnitentiæ ſubiicit, Epiſt. 1. c. 6 proculdubiò quam prædeceſſor eius Siricius præſcripſit, vt ab vxoribus ſeparati, & in ergaſtula detruſi, vſque ad finem vitæ pœniteant. Diu tu quidem cum Siricio, nuptos apoſtatas ab vxoribus auulſos in ergaſtula detrudente, & eorum matrimonia tamquam nulla ſeparante, luctaris, vt eum violentâ interpretatione ab hac mente auertas; ſed tandem, vbi præualere te poſſe deſperas, Auguſtini auxilium inclamas: *Si Siricius*, inquis n. 43. *ampliùs voluit, ſatis eſt ab Auguſtino confutatus.* Ita ſcilicet Patres omnes à partibus tuis ſtant. vnus Auguſtinus vniuerſi ſunt.

Tertiò citas Gelaſium, qui docet, *nuptias poſt dicatum Deo propoſitum, inceſta & ſacrilega fœdera, quorum auctores æquum eſt à ſacrâ protinus Communione detrudi, nec recipi niſi per publicam probatamq́; pœnitentiam*, quæ ſeparationem includit. Quid hæc pro validis nuptiis apoſtatarum?

Lib. 2. Indict. 12. Ep. 24. & l. 8. Ep. 9. Quartò citas Gregorium, qui dicit *anathema illi, qui Monacham in coniugium duxerit.*

Quid

Quid tum poſteà? Anathema ſint apoſtatæ, num propterea validæ eorum nuptiæ erunt? Dicit Gordianam amitam ſuam *oblitam timoris Dei, oblitam conſecrationis maritum duxiſſe.* Maritum, inquis, non amaſium. certè, nam ſpecie & profeſſione maritus erat, quem illa vt cum eo perpetuò viueret, animo maritali accepit. Sed quid dicis Gregorio, qui Monachos vxoratos ad Monaſteria à coniugibus tranſmittēdos decernit? *Cum conſenſu,* inquis n.45. *hoc fecit vxorum, alioquin iniuriæ & indiſcretionis accuſādus.* Scilicet tu vxorum illorum apoſtatarum omnium ſecreta noſti, vel Gregorio prudentior & iuſtior es! Horum tu quatuor tantùm Pontificum dicta affers pro nuptiis apoſtatarum, & iſtiuſmodi dicta, quibus non approbant has nuptias, ſed damnant: & tamen n.46. audes dicere, poſteriores Pontifices, qui nuptias apoſtatarum irritant, cum antiquis prædeceſſoribus ſuis, omnibuſque antiquis Patribus pugnare. Quàm verè dixit Hieronymus, hæreticos *mendacia ſtrenuè fingere, & frontis duritiā fidem facere; vt quod impudenter ſcribant, verè ſcribere videantur.*

Homil. 38. in Euang.

Lib. 3 aduer. Ruffin. c. 11.

Sextum argumentum ex Conciliis.

In Conciliis multò vanior es quàm in Patribus. Quinque adducis pro validitate ha-

rum nuptiarum, quæ clara eſſe iactas ſingulari impudentiâ, cùm potiùs omnia contrarium ſupponant. Ea nos ordine retrogrado examinabimus.

Conc.Matiſcon. I. c.12. Primum, Matiſconenſe. Quid dicit? *Si quæ de puellis iam profeßis & conſecratis ad coniugium tranſgredi præſumpſerit, vſque ad exitum cum marito Communione priuetur. Quòd ſi pœnitentiâ ducti ſe ſequeſtrauerint, mitiùs Epiſcopus circa Communionem negatam cum eis agat.* Hæc Concilium. vnde hoc conficitur argumentum: Concilium putat coniugium virginis conſecratæ perpetuum peccatum, eamque vnà cum marito excommunicat, ſine ſpe veniæ, niſi ſe ſeparent. Igitur hæc connubia Eccleſia rata, non irrita; recipienda, non ſeparanda iudicauit. Miror, Antoni, ſi non apoſtatæ te nuptias eorum damnare potiùs voluiſſe putent tuâ diſputatione, quàm defendere, qui talia teſtimonia adferas.

Concil. Aurel. 1. c.13. Secundum, Aurelianenſe. *Monachus ſi pellici vel vxori ſociatus fuerit, tantæ præuaricationis reus, numquam Eccleſiaſtici gradus officium ſortiatur.* Hinc conficitur argumentum ſimile præcedenti: Monachus nubens tam grandem tranſgreſſionem incurrit iudicio Concilij, vt numquam ad gradum Eccleſiaſticum admitti debeat, quamuis pœniteat, & ab vxore ſe ſeparet. Igitur Concilium

lium matrimonium illius ratum putat. Scilicet! *Imò*, inquis, *diſtinguit vxorem illius à pellice.* Certè. Nam dupliciter Monachus poteſt ſe ſociare feminæ, primò ita, vt ne conetur quidem cum eà contrahere; ſecundò, vt contractum matrimonij celebrare, quantum poteſt, conetur. Si primo modo feminæ ſocietur, erit illa pellex re & nomine. Si ſecundo modo, reuerà pellex erit, tamen ſpeciem & ſimilitudinem vxoris habebit; &, vt diſtinguatur à pellice, quæ nomine etiam talis eſt, vxor vocatur, nec alio nomine diſtingui poteſt à profeſsâ pellice.

Tertium, Chalcedonenſe. Quid ſtatuit? *Virgini, quæ ſe Deo conſecrauit, & Monacho non licere nuptialia iura contrahere. Si fuerint hoc inuenti perpetrantes, excommunicentur, neque abſoluantur donec pœniteant.* Næ tu mirabilis Alchimiſta es, ſi ex hoc dicto conficias argentum, quo ferrumines & ornes nuptias apoſtatarum! *Certè*, inquis, *nuptias appellat.* Falſum eſt. Quid ſi, quia ſpeciem habent nuptiarum, nuptias vocaſſet, vt diſtingueret à pellicatu, qui ne ſpeciem quidem habet nuptiarum? Sed Concilium nuptias non vocat, tantùm dicit, non licere Monachis nuptialia iura contrahere. An inde inferes, Ergo ſi contrahant, legitimum matrimonium erit? Sanè, ſi dixiſſet Concilium, non licere nuptæ

Concil. Chalced. c.12.

Chriſtianæ repudiatæ, viro ſuo viuente, cum altero viro nuptialia iura contrahere, pari ſapientiâ intuliſſes, ſi contrahat, verum matrimonium fore.

Concil. Valent. c. 2 Quartum, Valentinum. *Si virgines Deo ſacræ nupſerint, pœnitentia his non ſtatim datur* (nimirum non ſtatim ac ſe pœnitere & ſeparari velle dixerint:) *quòd ſi data fuerit* (ex ſolâ ſpe & promiſſione ſeparationis,) *tamen Communio differatur, donec plenè ſatisfecerint*, id eſt, reipsâ ſe ſeparauerint.

Quintum, Ancyranum ſic habet: *Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati fuerint, inter digamos habeantur.* Quid tum poſteà? *Ergo*, inquis, *verum matrimonium erit, alioqui bis nuptus & digamus eſſe non poteſt.* Nugę. Nam ſi digamus, id eſt bis nuptus eſſe poteſt, qui vere nuptus bis non ſit (nam matrimonium cum Chriſto non eſſe verum dicis:) cur etiam bis nuptus & digamus non ſit æſtimatione Iuris, licet numquam verè nubat, ſed tantùm duplex apparens & ſimilitudinarium matrimonium ineat. imò nos Monachos nuptos inter digamos numeramus, ſi nubant; & tamen eorum nuptias irritas eſſe dicimus. Imò ſi quis primâ vxore viuente ſecundam ducat; quamuis ſecundum matrimonium nullum ſit, tamen digamus eſt. Quid? quòd qui cum duabus conſanguineis

nuptias

nuptias celebrat, quamuis neutræ validæ ſint, tamen eum digamum grauiſſimi Theologi pronuntiant? vt mirum ſit, te Primatem iſta ignorare. Vanè igitur Concilia iactes, cùm nihil cauſſam tuam iuuent. Imò illa ipſa quæ affers, nuptias, ſi quas meditaris, damnant. Quid verò reſpondeas ad illa Concilia, quæ Catholici proferimus. Turonicum: *Si Monachus vxorem duxerit, excommunicetur, & de vxoris malè ſociatæ conſortio etiam Iudicis auxilio ſeparetur.* Concilium Feroiulienſe: *Moniales nuptæ auxilio Iudicis laici debent ſeparari, & detrudi ad pœnitentiam.* Concilium Triburienſe, *Per vim*, inquit, *talia coniugia ſeparentur, vt non cohabitent ſimul, neque colloquantur.* Quid cenſes, Antoni? Quàm benè, ſcilicet, probant hæc Concilia quod tu dicis, ſemper Eccleſiam hæc matrimonia retinenda, numquam ſeparanda iudicaſſe; pœnis quidem, ſed citra ſeparationem afficere. *Reſpondeo*, inquis, *ſi hæc tria Concilia voluerunt diſſentire à Chriſto & à Paulo Apoſtolo, à tot ſanctis Patribus & Conciliis celeberrimis, eis dicendum eſt, Quare tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Quis ſine riſu legat te modò tam timidè ſcribentem, qui Patres omnes & Concilia omnia pro te ſtare paulò antè inflatis buccis concrepabas, nec vllum dictum vllius Patrum aut Conci-

Concil. Turon. II. c. 16. & 21.

Foroiulien. c. 11.

Tribur. c. 23.

liorum reperiri, quo nuptiæ iſtæ damnentur? Iam vis dicere Conciliis, Cur tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Supra Concilia ſapis: non vis eorum lineis inniti, quia tuis diſtortis & curuis cupiditatibus non conſentiunt. *Diſſentiunt*, inquis, *à Chriſto*. Nimirum Chriſtus, ne vos apoſtatæ ſepararemini à veſtris vxoribus, valdè ſollicitus fuit, ſacroſanctas & inuiolabiles eſſe voluit! in quo Euangelio? in quinto fortaſſis Lutheri. An in noſtro? Si in noſtro, cur locum ne citas quidem? *Diſſentiunt à Paulo*. Quomodo? Paulus dicit, viduas voto ſolemni adſtrictas *nubere velle*. *Si nubere volunt*, inquis c. 11. n. 11. *igitur verè nubunt*; *alioqui dixiſſet Paulus, Volunt ſcortari; non, Volunt nubere*. Mira ſubtilitas, propter quam tot Concilia velut impia reiiciantur! Pari modo ſi dicat Apoſtolus, vxores quæ viros infirmos habent, pro ſuâ libidine aliis viris nubere velle; tu ſtatim pro tuâ Logicâ concludes, ſi nubunt, vera coniugia celebrare? Nubere quidem illæ volunt, non ſcortari; tamen reuerà non nubunt, ſed ſcortantur; quia quamuis illæ nubere ſe exiſtiment, tamen reuerà non nubunt. *Diſſentiunt à Conciliis*. Certè à Conciliis malignantium. Nam Catholicum Concilium, quod approbationis harum nuptiarum vel leuiſſimam vmbram habeat,

nullum

nullum adducis. *Diſſentiunt à Patribus:* nimirum à tuis, Luthero, Zvvinglio, Oecolampadio, Petro Martyre, Caluino. Nam Patres Græci & Latini nuptias poſt votũ, vt irritas damnant, quod te fateri conuicimus, excepto Auguſtino, in quo vno gloriaris.

Antonij vana iactantia de S. Auguſtino.

AVGVSTINVS, inquis n. 26. *ſi ſolus eſſet, nedum tot viris ſanctiſſimis & doctiſſimis conſentiens, à magno errore deberet retrahere, quo nos imbuti, ſub prætextu puritatis Eccleſias noſtras facimus impuriſſimas.* Scilicet Auguſtinus, ſi matrimonia poſt votum ſolemne rata exiſtimat, conſentit Baſilio, Hieronymo, Chryſoſtomo, Ambroſio, quos ab eo, quòd matrimonia voto ſoluerent, & adulteria vera dicerent, confutatos, imò verò ſuggillatos dicis. Sed mirũ non eſt, te Patres, an inter ſe conſentiant, non noſſe, qui tibi ipſi numquam conſentire noſti! *Si ſolus ſit*, inquis, *Auguſtinus, ſufficit.* Cur, amabò te, Antoni? cur potiùs vni Auguſtino credamus, quàm Patribus Græcis & Latinis, quos ille *refutauit, & ſuggillauit* etiam, ſi tibi credimus? Gloſſa quædam Patribus reliquis potiùs quàm Auguſtino adhærens, dicit, Auguſtinum hac in quæſtione dormitaſſe; nimi-

Gloſſ. in c. Nuptiarũ 27. q. 1. v. Cũ enim.

nimirum alludens ad vulgare carmen,

——— *quandoque bonus dormitat Homerus.*

Hoc ferre non potes c.11. n.26. *Verè dormiens*, inquis, *nedum dormitans, imò temulentus potiùs Leguleius Auguſtinum facit in his dormitantem.* Nimis excandeſcis: caue ſis vt dormitare Scriptores non poſſe putes, niſi temulenti ſint. Sed quid peccauit Auctor Gloſſæ, quòd in eum ita ſæuias? Si reliquos Patres prætulit Auguſtino, certè tu ſolum Auguſtinum reliquis. *Non ſuggillauit eos modò*, inquis n.42. *ſed neque audiendos in hoc neque ſequendos eſſe conuicit.* Ita tu ſubſcribis Auguſtino ſoli contra reliquos Patres, Iuriſconſultus econtrà Patribus & Latinis & Græcis potiùs quàm Auguſtino. Si tu ſobrius, cur ille temulentus? *Solus*, inquis, *Auguſtinus ſatis eſt.* & lib.1.c.8.n.9. *Sanè inſtar omnium eſſe debet.* Neſcio quàm ſit hoc ſobriè dictum, certè neque piè neque prudenter eſt dictum. cur enim in vno Auguſtino totius Eccleſiæ auctoritas contineatur?

Nihilominùs ſi ſemper ita faueres Auguſtino, ſi tibi inſtar omnium perpetuò eſſet, nimiæ tuæ in Auguſtinum affectioni & reuerentiæ faciliùs parcerem. Nunc verò, cùm tibi videtur pro nuptiis, quas impensè diligis; vel contra Pontificis primatum, quem immensè odiſti, loqui, licet reliqui Patres

aliter ſentiant, ſolus ſufficit, inſtar omnium eſt: ſi quis eum dormitaſſe, vel non omnia vidiſſe dicat, temulentus eſt. Quid ſi ſapiat aliquando, quod tibi ad palatum non ſit? an ſolus ſufficiet, & inſtar omnium tibi erit? Imò vnus de ceteris erit. Vis hoc tibi exemplo commonſtrem, vt hanc tuam leuitatem manu palpes? Faciam. Libro 2. c.4. contendis, ſacrum Ordinem Sacramentum non eſſe, nec characterem indelebilem imprimere, ſchiſmate & hęreſi, imò aliis ſceleribus amitti. Quid verò Auguſtinus? contrà ſentit apertiſſimè, Ordinem non minùs quàm Baptiſmum Sacramentum eſſe, nec magis quàm Baptiſmũ ſchiſmate vel hæreſi amitti poſſe. *Auguſtinus*, inquis illo cap.4. n.41. *in contrariam partem, quòd Ordo Sacramentum ſit, plurimùm inclinat*. Sanè, cùm dicat, *neminem* (Chriſtianum ſcilicet) *eâ de re dubitare*. Audi quantum in iſtam ſententiam inclinet. *Explicent*, inquit, *nobis* Donatiſtæ, *quomodo Sacramentũ baptizati non poſſit amitti, Sacramentum ordinati poſſit amitti. Si enim vtrumque eſt Sacramentum quod* NEMO *dubitat; cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt. Si ſancta malos fugiant, vtrumque fugiat: ſi ſancta in malis inuiolabiliter maneant, vtrumque maneat.* Ita loquitur Auguſtinus. An potuit apertiùs? Si tibi conſtas,

Lib. 2. contra Epiſt. Parmen. c.13.

ſtas, inſtar omnium tibi erit. Nam ſi diſſentire ab Auguſtino, quando ſe fatetur à reliquis Patribus diſſidere, temulenti ſit; quid erit, nunc reiicere Auguſtinum, cùm quod affirmat ita affirmat, vt de eo NEMINEM Chriſtianum *dubitare* dicat? Non tamen Auguſtino cedis. *Nos verò*, inquis ibid. n. 41. *Auctoribus bonis & Catholicis* (Auguſtino, Hieronymo, Chryſoſtomo, & aliis) *iam oppoſuimus bonos & Catholicos Auctores, & illos ſanè clariſſimè loquentes.* Hæc tu: quàm palàm inconſtans! Auguſtinus, cùm tibi placentia loquitur, *ſolus ſufficit, inſtar omnium eſt*: quando verò tibi contrait, pares habet, nec niſi de bonis vnus eſt. Solius auctoritas ſufficit, vt tibi matrimonium tuum apoſtaticum inſolubile ſit; non ſufficit, vt character tuus Sacerdotalis indelebilis ſit. Sanè vel vtrobique tibi ſufficeret vel neutrobique vnicus Auguſtinus, niſi tibi potiùs nuptiarum, pro quibus agitur, voluptas, quàm Auguſtini, qui pro ipſis agere tibi videtur, auctoritas ſacroſancta eſſet.

Verùm Auguſtini te non tam moueri auctoritate dices, quàm ratione, quâ Patres reliquos nec audiendos quidem eſſe conuicit te iudice, qui cùm ſis apoſtata, in hac controuerſiâ pars es, quem meritò credamus, non tam ratiocinationis Auguſtinianæ claritate

tate conuinci, quàm nuptiarum, pro quibus diſputat, amore cæcari. Igitur rationem Auguſtini, depoſitis affectionibus, intueamur. Iſtiuſmodi eſt. Si virgines verè Chriſto nubunt cùm caſtitatem vouent, ita vt coniugia pòſt ſecuta, adulteria, non nuptiæ ſint; ſequitur, inquit Auguſtinus, nuptam Chriſtianam, quæ ex conſenſu viri caſtitatem vouet, adulterum Chriſtum facere, quia viro ſuo viuente, Chriſto viro alteri nubit. Quæ autem viro viuente alteri nubit, adultera eſt. Hæc ratio, ſi contra votum ſolemne irritans matrimonium adducitur ab Auguſtino, vt tu affirmas, ad hoc probandum, pace tanti Doctoris, ſubtilior quàm ſolidior eſt. Nam cùm dicit, nuptam Chriſtianam de conſenſu viri caſtitatem rectè vouere, & Chriſto nubere, verum dicit; cùm dicit, nuptam, quæ viro ſuo viuente cum viro altero eſt, adulteram eſſe, verum dicit: ſed quod aſſumit, nuptam Chriſtianam, quæ de conſenſu viri, Chriſto caſtitatem vouet, viro alteri nubere, & ideò adulteram eſſe, non eſt hoc verum. Nam Chriſtus nuptæ Chriſtianæ vir alter non eſt. vir alter is dicitur, qui à primo viro ſecundus eſt. Secundum enim virum mulier primo viuente habere non poteſt. quòd ſi ſecundum habeat, habet alterum, & adultera eſt. Chriſtus autem cum maritis mortalibus non venit in nume-

numerum, vt reſpectu illorum alter vel ſecundus maritus nuptæ Chriſtianę dici poſſit. Vir enim nuptæ Chriſtianæ perpetuus eſt, non marito mortali oppoſitus, ſed vnà cum ipſo communis: ſiquidem omnis nupta Chriſtiana Chriſtum virum vnà cum viro mortali habet & habere debet. Non igitur nupta Chriſtiana, quæ Chriſto, conſentiente marito, caſtitatem vouet, nouo marito nubit, nec viro alteri, cui priùs non erat nupta, nubit; ſed eidem viro immortali ſuo, quem vnà cum viro mortali habebat, nubit. Non celebrat cum Chriſto nuptias, per quas Chriſtus tunc primùm vir eius efficitur, ſed per quas vir illius ſolus efficitur, qui anteà cum viro mortali vir etiam illius erat. Hanc conditionem nuptæ Chriſtianæ Paulus ſubtiliter explicauit, cùm dixit, *illam diuiſam eſſe*, nimirum inter duos viros, mortalem & immortalem: debet enim vtrumque colere & diligere, vtrique ſeruire, ex vtroque liberos, ex mortali carnales, ex immortali ſpirituales, id eſt bona opera gignere. Quare cùm conſentiente viro ſe Chriſto ſolemni voto caſtitatis conſecrat, non alteri viro, quem priùs non habuerat, ſe tradit, ſed eidē prorſus viro cui priùs nupta erat, & cui ſemper nupta eſſe debet, plenè ſe tradit, vt ei iam integra & tota ſeruiat, cui priùs etiam diuiſa ſeruierat.

1. Cor. 7.

rat. Hanc ſanè veritatem vidit acutè Augu- ſtinus, cùm ſic ſcribit: *Cùm primæ nuptiæ maioris meriti ſint quàm ſecundæ, abſit vt ſanctarum viduarum iſte ſit ſenſus, vt Chriſtus eis videatur ſecundus maritus: ipſum enim habebant anteà, quando viris ſuis fideliter ſeruiebant ſubditæ.* Hæc benè Auguſtinus: cuius acumine adiuti, illius rationi ſoluendæ idonei erimus. Sancta vidua, quæ poſt obitum mariti Chriſto caſtitatem vouet, viro ſecundo non nubit; igitur neque viro alteri nubit. Nam ſi poſt primum alteri nubit, ſecundo nubit, & nuptiæ illius cum Chriſto, alteræ & ſecundæ erunt. Quòd ſi vidua, mortuo marito, Chriſto vouens caſtitatem, viro alteri non nubat; cur nupta Chriſtiana, quæ viro conſentiente caſtitatem vouet, viro alteri nubat? Si vidua viro fideliter ſubdita, Chriſtum tunc maritum habebat, vt mortuo marito, quando Chriſtum eligit, alterum non eligat; cur nupta Chriſtiana viro fideliter ſubdita, Chriſtum tunc maritum non habeat, vt dum poſteà, conſentiente viro, ſoli Chriſto ſe vouet, non virum alterum eligat, ſed viro quem priùs habebat, perfectiùs nubat? Subtiliter igitur Paulus ad adulteriũ requirit, vt mulier viuente viro non tantùm nubat, ſed & alteri viro nubat; quod non ita aduertit D. Auguſtinus, de quo dicam, quod de S. Cypriano

De bono viduit. c. 11

Lib. 6. De Bapt. con. Donatiſt. c. 20. ipſe dixit, *beatâ iam Dei viſione perfruentem videre, quantâ ſalubritate promiſſum ſit, vt emendanda ſint in literis Oratorum, quantumuis Chriſtianorum & piorum, non ſint autem in literis Piſcatorum.*

Scio, Catholicos hæc Auguſtini verba variis interpretationibus ad veritatem flectere, vt loquatur de voto non ſolemni, ſed ſimplici; vel de voto ſolemni ex naturâ voti, prout Eccleſiæ decretum nuptiarum irritatiuum non includit. Sed de his interpretationibus, quoniam neutra tam euidens eſt, quin contra eam multa probabiliter diſputari poſſint, tecum non contendam. Breuiter dico, ſi mens Auguſtini ex ipſo Auguſtino planè explicari non poteſt, auctoritas Auguſtini quàm parum aduerſus hanc veritatem valeat, ex ipſomet Auguſtino oſtendi plenè poteſt. Nam ſi (quod tu contendis) impugnauit doctrinam Patrum ſui ſæculi communem, poſtmodum à variis Conciliis approbatam, à Synodo Tridentinâ definitam, multorum ſæculorum iam praxi notiſſimam; profectò cùm Auguſtinus aduerſus Cyprianum pro doctrinâ ab Eccleſiâ definitâ decertauerit, cur nobis non liceat Auguſtino pari in causâ pari cum modeſtiâ repugnare? Lib. 2. De Bapt. con. Donatiſt. c. 3. *Non recipio* (inquit ille) *quod pro baptizandis hæreticis B. Cyprianus ſcripſit; quia non recipit illud Eccleſia, pro quâ B. Cy-*

prianus ſanguinem ſuum fudit. Benè, piè, modeſtè. Neque nos recipimus, quod pro validis apoſtatarum nuptiis, contra reliquos ſui ſæculi Patres ſenſit (ſi modò ſenſit) B. Auguſtinus, quia non recipit illud Eccleſia, de cuius auctoritate priuatis, quanti quanti ſint, Doctoribus præferendâ, nullus ex Patribus B. Auguſtino vel copioſiùs vel doctiùs vel fortiùs diſputauit; cuius illa exſtat literis aureis vbiq́ue incidenda ſententia, *De eo, quod per orbem frequentat Eccleſia, diſputare an ita faciendum ſit, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Epiſt. 118.

Ex dictis colligitur, te vane Patres iactare in hac quæſtione, in quâ duo perpetuò & ſingulis pænè paginis cantas, nec quàm parum ſibi concinant aduertis: Patres ad vnum omnes tecum ſentire, & tamen Patres pænè omnes, quia tecum non ſentiunt, ab Auguſtino confutari. Hinc tandem concludimus, quod factis tuis luce clarioribus probandum contra iurata tua verba ſuſcepimus, te non Patrum rectis lineis inniti, ſed tuis affectionibus duci: quibus excæcatus, dum ſcribendo vagaris, in tuamet dicta perpetuò impingis, nec à Patrum mente ſæpiùs, quàm à tuâ aberras: vt non miremur, te ab Eccleſiâ & à Catholicis Doctoribus diſſentire, qui à teipſo tam ſæpè diſſentis; cùm dictum illud Firmiliani, ſi rectè etiam applicetur, veriſſimum ſit,

Epiſt.69. inter Epiſtolas Cyp. *apud illum corpus vnum & vnum ſpiritum eſſe non poſſe, apud quem anima vna non eſt, ſed lubrica, mobilis, & incerta.*

Detegitur Antonij ſimulatus candor animi.

TERTIO iactas puram mentem, ſinceram intentionem, animi candorem, quòd nihil inuitâ conſcientiâ ſcribas, nihil dicas quod tibi verum eſſe non videatur. *Ex his verè puriſſimis* (inquis Præfat.n.5.) *& candidiſſimis lapidibus argentea propugnacula exſtruamus, vt candidam veritatem candido & puro mentis affectu, depulsâ omni falſitate, abiectis fallacijs, omni dolo depoſito, propugnemus.* Hæc tu, & ſimilia multa: quo candidior nullus eſſet, ſi te reddere poſſent ſolá verba candidatum; nobiſque candorem tuum perſuaderes, niſi ſolerent ſepulchra foris ſpecioſa, ornata, ſplendida, intus turpia, fœda, plena oſſibus mortuorum eſſe. Quo candore animi Patres tractes & torqueas ad tua impura phantaſmata, iam conſtat: hîc aliud argumentum adducam, quo oſtendam, conſcientiam tuam & fidem meritò nobis & cordato cuiuis ſuſpectam eſſe debere.

Noſti, opinor, Oratoris dictum, cuius veritatem quotidiana experientia declarat: *Vt quiſ-*

quiſque peſſimus eſt, ita de aliis peſſimè ſuſpicatur. Qui faſtu tumet, ſuperbos; qui diuitiis inhiat, auaros; qui ſanctitatem fingit, hypocritas; qui dolos verſat, proditores; qui nullâ fide & conſcientiâ eſt, conſcientiam penſi non habere vnà ſecum omnes exiſtimat. Quid tu, Antoni? nulli profectò parcis, corda ſoli Deo peruia ſuſpicionibus tuis penetras, omnes pietate vacuos pronuntias, vniuerſos perditæ & deploratæ conſcientiæ damnas, Theologos Romanos, Pariſienſes, modernos, antiquos, Græcos, Latinos, primos Imperatores Chriſtianos, Summos Pontifices antiquiſſimos, Concilia Eccleſiæ generalia, ſex poſtrema Chriſtianorum ſæcula ſacerdotum. Hæc ſingula breuiter oſtendamus.

Nouem argumenta nullius conſcientiæ in M. Antonio.

PRIMVM ARGVMENTVM.

In primis de Catholicis Scriptoribus, qui Petri Primatum aſſerunt, hanc cenſuram fers lib. 1. c. 10. n. 33. *Noſtri Monarchici non ex vllâ in S. Petrum deuotione, ſed vt ſub Petri nomine Romanum Pontificem Deum in terris faciant, adeò ſunt de Petri exaltatione ſoliciti.* Hæc tu quàm mendaciter! Quis enim Catholicus Petrum Deum fuiſſe dixit? Quòd ſi Petrum Deum non facimus, quomodo Romanum Pontificem Deum facimus ſuc-

ceſſione à Petro? Quàm verò temerè! Nam quî tibi conſtare poteſt, corda noſtra nullâ erga S. Petrum affici deuotione, vt eum totius Eccleſiæ Primatem agnoſcamus? Sanè de Petri poteſtate ſingulari, in Euangelio tam ſingularia teſtimonia habentur, vt ſi Petri Primatus verus non ſit, falli tamen in eo aſſerendo pius quiſpiam facillimè poſſit. Hoc tuis dictis à te euincendum eſt. Libro 4. c.4.n.17.dicis, S. Leonem *ſibi abſolutam Monarchiam Eccleſiaſticam diuinâ per Petrum inſtitutione affinxiſſe*.&eodem lib.4.c.10.n.12. dicis, *ceteros poſt Leonem Pontifices Primatum ſibi diuino Iure per ſucceſſionem à Petro deberi exiſtimaſſe*. tertiò ibidem dicis, hos motos fuiſſe *non verâ quidem, ſed apparenti ratione.* Hoc Opere, quàm ſit hæc ratio vera, ſolida, certa, demonſtro. Nunc id ſumo, quod tu, quia negare non potes, ſpontè concedis, rationem iſtam, quæ Monarchiam à Petro deriuat ad ſucceſſores, ſaltem apparentem & probabilem eſſe. hac enim apparentiâ Monarchiæ Romanæ conceſsâ, ſtatim apparet temeritas tua, quâ Catholicos illam aſſerentes nullâ pietate moueri pronuntias. Nam ſi Petri Monarchica poteſtas ad ſucceſſorem deriuanda in Euangelio ſaltem appareat, quî certus eſſe potes, Catholicos, dum Petrum Eccleſiæ Monarcham ſtatuunt, Primatus

Euan-

Euangelici apparentiâ non decipi? Quî tibi conſtat, Romanos Pontifices antiquos, deceptos apparentiâ Euangelicâ, Monarchiam *pio* errore aſſeruiſſe? nos, quos *Monarchicos* appellas, quibus, vt Monarchiam aſſeramus, ad Scripturæ apparentiam, tantorum Patrum auctoritas accedit, nullâ ſacræ veritatis & dignitatis Petri ſpecie moueri? imò Petri Monarchiam aſſerere non niſi impiâ mente, vt eiecto vero Deo, Romanum Pontificem Deum faciamus? Nimirum impius ipſe qui ſit, impietatis & ἀθεότητος alios quàm facillimè damnat.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Theologis Pariſienſibus in Præfatione tuâ adblandiris n. 10. *Liberum venerandæ totíque orbi Chriſtiano conſpicuæ Sorbonæ iudicium expeto: cuius ego vt acumen ſoliditatémque ſemper ſum admiratus, ita conſtantiam libertatémque plurimi facio, vtpote quæ non temporibus famulari, ac ad oculum ſeruire ſolita eſt, ſed veritatem ipſam omnibus præiudiciis & perturbationibus humanis anteferre.* Ita tu de Pariſienſibus in Præfatione tuâ, quam velut portum dixerim libri tui, quem mari turbato & inſano comparauerim. Nam ſolent maria procelloſiſſima, ad ſe nauigia blandâ portus malaciâ pellicere, quæ prouecta in altum fluctibus verberant, & ad ſcopulos fœdâ tem-

peſtate allidunt: ita tu de Pariſienſibus, quos in Præfatione tuâ *ſolidos, acutos, conſtantes, liberos* laudas, in libro tuo contraria omnia dicis, & velut leuiſſima ventorum ludibria in omnem partem verſatiles exagitas.

Primò, Soliditatem doctrinę illis tribuis; ſed illâ poſteà lib.2.c.5. n.39. eoſdem priuas, de Ioanne Gerſonio Sorbonæ Principe ita ſcribens: *Propterea*, inquis, *hæreticũ eſt, quod ponit Gerſonius, plenitudinem poteſtatis eſſe in Papâ ſubiectiuè & fontaliter.* Ita doctrinâ Sorbonæ ſolidam laudas tuo ſenſu, cui nulla doctrina ſolidior eſt, quàm quæ maximè hæretica eſt. Deinde cùm lib.4.c.7.n.3. dicis, Pariſienſes *in retinendâ monarchiâ nouis vti ac propriis placitis*, ſolidæ & toti orbi conſpicuæ venerandæque doctrinæ laudem illis eripis. Nam placita eorum ſi ſunt propria, quî Catholica eſſe poſſunt & toti orbi Chriſtiano conſpicua? ſi noua, quî verè Catholicis veneranda? cùm non niſi antiqua fidei dogmata verè Catholici venerentur.

Secundò, Libertatem laudaueras in Pariſienſibus, temporibus famulari neſciam, nec ob metum vera reticentem. At lib. 4. c. 27. n.8. de Ioanne Gerſonio Sorbonæ, in in hac præſertim quæſtione, duce, *Gerſonius*, inquis, *Papatus vanitatẽ in formâ & magiſtraliter, timidè tamen & ſub humanâ cautelâ explica-*

plicauit. Si timidè & ſub humanâ cautelâ; vbi libertas temporibus famulari neſcia, ſed quæ veritatem humanis perturbationibus omnibus antefert? & num. 7. *Theologi Pariſienſes*, inquis, *in Concilio Conſtantienſi, ne contra torrentem niterentur, Papatum retinere coacti ſunt verbo, quem reipsâ demoliebantur.* Iterùm: *Dum audimus, Gerſonium & ſocios viros doctiſsimos Papatum retinere & tueri, ſciamus profectò id ab eis verbis tantùm dici, non ex animi ſententiâ, & ad vitanda ſcandala; iuxta illud eiuſdem Gerſonis documentum: Poteſt aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falſitatum dogmatizatio permitti. Hoc documento vſos fuiſſe Gerſonium & ſocios, non dubito, dum Papatum ore tantùm defendunt & retinent*. Hæc tu, dicens te ſcire, nec dubitare, Pariſienſes, dum Papatum retinent, mentiri, quia *verbo tantùm* retinent, non corde; ſermone, *non ex animi ſententiâ*. Vnde noſti, Pariſienſium corda à verbis diſſentire? *Scio*, inquis, *nec dubito*. quis tibi ſecreta cordium reuelauit? Nam quod affers ex Gerſonio documentum, non oſtendit Pariſienſes docere, mendaciis in rebus fidei vti licitum eſſe, ſed te documento Gerſonij ad hoc probandum magnâ cum inſipientiâ vti. Aliud enim eſt, permittere falſa doceri, nec verbo repugnare, quamuis cordè diſſen-

De vitâ ſpirit. animæ, ſect. 4. Coroll. 10.

tias, quod nonnumquam licere ob maiora vitāda ſcandala, Gerſonius dicit: aliud verò, tamquam verum dicere, quod falſum eſſe noſti, quod eſt vno verbo, mentiri; quod facere vel in rebus ludicris, ſemper malum eſt; in rebus autem fidei facere, ſummè impium. Pariſienſes autem, te fatente, non tacent & ſilent, ſed Papatum verbo aſſerunt, Monarchiam Romani Pontificis fidei dogma eſſe docent, neminem ſaluari qui id neget, contrariam doctrinam impiam & deteſtandam eſſe. Nec ſolùm hæc aſſerunt, ſed etiam argumentis probare conantur. Hæc omnia ſi Pariſienſes tantùm ore dicunt, corde autem aliter ſentiunt, ſi verbo affirmant, non ex animi ſententiâ, certè contra conſcientiam peccant, contra agnitam veritatem pugnant, quod eſt *ſceleris in Spiritum ſanctum* reos eſſe. Quanta ſtultitia tua eſt, qui Pariſienſes fingere, mentiri, ore tantùm loqui, non ex animi ſententiâ, denique veritatis proditores eſſe declamas; tamen ab iiſdem poſtulas, vt te veritatem depoſitis dolis & fallaciis candido cordis affectu propugnare putent, & tibi hoc affirmanti credant. Sed rurſus interrogo, Quî noſti, ore tantùm, repugnante cōſcientiâ, Pariſienſes Papatum defendere, & dogma tuum velut hæreticum damnare, cùm nullus ſcire poſſit quid ſit in homine,

homine, niſi ſpiritus qui eſt in homine. Quò ſpiritu reuelante cordium abdita penetraſti? Sanè non opinor alio ſpiritu reuelante, quàm ſpiritu, qui eſt in homine tuo: qui cùm veritatem flocci faciat, & quò placeat hominibus, quiduis dicere paratus ſit, ſuo ceteros mortales ſpiritu afflari non dubitat.

Tertivm argvmentvm.

Chriſtianis Imperatoribus antiquiſſimis & primis non parcis. Romani Pōtificis Monarchiam Marcianus, Arcadius, Theodoſius vterque, & vterque Valentinianus, Galla, Placidia, Iuſtinus, Iuſtinianus, & alij Imperatores edictis tuentur. Dicunt ſe ad hoc moueri pietate & reuerentiâ erga S. Petrum Apoſtolorum Principem, cuius Romana Sedes eſt. Quid tu cenſes, Antoni? *Neque ego puto*, inquis lib. 4. c. 3. n. 22. *hæc ex Imperatorum pietate erga Romanam Eccleſiam emanaſſe, ſed ex ſolo typho ſuperbiæ, vt ipſorum Imperialis ciuitas tantò eſſet ſplendidior.* Ita tu cordium Principum cenſor. Apertè dicis, omnes illos Imperatores mentiri, cùm dicunt ſe moueri pietate erga S. Petrum & illius Sedem; qui tamen, ſi tibi credimus, ſolâ ſuperbiâ mouebantur. Non quæro vnde arcana iſta didiceris, cùm ſat ſciam, te non niſi cordis tui arcana reuelare, de cuius typho ſuper-

ſuperbiæ tibi optimè conſtare poteſt. Illud admiror, te corda Imperatorum, qui iam ante mille & trecentos annos mortui ſunt, tam certò ſcire potuiſſe, tamen tui cordis ignarum adeò eſſe, vt non prænoueris, quid poſt pauca folia de his ipſis Imperatoribus dicturus eſſes; de quorum cordibus longè aliam ſententiam profers hoc ipſo libro 4. c. 10. n. 94. *Planum eſt*, inquis, *multos Imperatores partim ex deuotione piâ, magis autem ex ciuili prudentiâ Romanum Pontificem ad Monarchiam ſpiritualem euehere voluiſſe.* Hæc tu. Iam ſi *partim ex deuotione piâ, partim ex prudentiâ*; quomodo verum, *non ex pietate, ſed ex ſolo typho ſuperbiæ?* Sic vertigine te laborare oportet, qui ambulare vis ſuper pennas ventorum, & in cordium humanorum ſecretis, quæ abyſſi inſcrutabiles ſunt.

QVARTVM ARGVMENTVM.

De Romanis Pontificibus lib. 1. cap. 3. num. 24. *Omnium*, inquis, *Romanorum Pontificum in hoc genere* (de Petri ſcilicet Primatu) *dicta meritò ſuſpecta poſſunt haberi.* Omnes Romanos Pontifices ſuſpectos habes, nullum excipis, ne Petrum quidem *Romanæ Ecclesiæ*, ſi credimus Ambroſio, *ſacerdotem.* Pluris dicis facienda teſtimonia *Cypriani* quàm *Leonis*; nec intelligis, ſi ſuſpectus ſit Leo, loquens de Primatu Petri à quo ad ipſum deriuetur,

De Sacrament. lib. 3 c. 1.

uetur, non minùs ſuſpectum eſſe poſſe Cyprianum, loquentem de paritate Apoſtolorum reliquorum, à quibus (ſi tibi credimus) ad ſingulos Epiſcopos paritas cum Romano deſcendit. Sed, Antoni, ſi Romani omnes Pontifices meritò ſuſpecti ſint, nec tot Martyribus & ſanctiſſimis viris tutò fides adhiberi poſſit; *ſi naturali blandoq; propriæ excellentiæ appetitu deliniti deflexerint vniuerſi poſt Leonem Magnum, vt Primatum ſibi diuino Iure debitum vſurparent*, vt ais lib. 4. c. 10. n. 12. quanta dementia eſt, à nobis poſtulare, vt tibi iuranti credamus te rectis lineis Scripturæ & Patrum inniti, neque vel gloriæ vel propriæ excellentiæ, vel cum Romano paritatis appetitu delinitum, à regulâ & normâ veritatis vel latum quidem vnguem deflectere? Scilicet tu ſolus ſanctus es, vt à veritate ne latum quidem vnguem deflectere cupiditate gloriæ credi debeas: qui tamen viros, quos negare non audes vitâ ſanctiſſimos, Primatus cupiditate fanda atque infanda feciſſe dicas! Sanè de Zoſimo Romano Pontifice, qui leui errore vel nullo Sardicenſes Canones pro iure appellationum Nicænos appellauit, ita lib. 4. c. 8. n. 34. ſcribis: *Ego Zoſimum non abſque artificio deditâ operâ æquiuocare voluiſſe dicam, & Canonem Sardicenſem, nullius tunc auctoritatis, pro Nicæno maxima*

maximæ auctoritatis, nec illum fideliter, ſed valdè alteratum, conatum fuiſſe ſupponere, vt Africanam Eccleſiam antidotum iam apparantem ſibi plenè ſubiiceret. Hæc tu. Qui noſti, Zoſimum magnæ ſanctitatis Pontificem, non fuiſſe deceptum, ſed deditâ operâ fallere voluiſſe, cùm facili errore potuerit Nicænum pro Sardicenſi dicere, cùm vtrumque Concilium generale fuerit, eâdem de cauſâ, ab iiſdem pænè Epiſcopis, prope vno eodemque tempore celebratum? *Ego*, inquis, *Zoſimum deditâ operâ fallere voluiſſe dicam*, imò Canonem Sardicenſem non fideliter citaſſe, ſed *valdè alteratũ*. Hoc ſanè dicis, Antoni; ſed tuo more hoc dicis, qui ibidem vix lineis decem interpoſitis contrarium dicis. *Si Sardicenſes Canones*, inquis, *fuiſſent alicuius tũc auctoritatis, Zoſimus, qui* AD VERBVM *Sardicenſem Canonem poſuerat in ſuo Commonitorio, non eum dixiſſet eſſe Nicænum*. Benè accidit, quòd memoriâ deſtituatur & mente, tua de cordibus iudicandi temeritas; quò pateat omnibus, quàm officio, cui te ſuperbè ingeris, ineptus ſis. Nam quomodo Zoſimũ iuſtè damnas Canonis Sardicenſis non fideliter adducti, ſed valdè alterati, pro quo tu ipſe, qui iudex ſedes, teſtimonium fers, quòd Canonem poſuerit AD VERBVM, hoc eſt, neque ſyllabam vnam addiderit vel omiſerit.

QVIN-

QVINTVM ARGVMENTVM.

Concilia generalia, Lateranenſe, Florentinum, Lugdunenſe, in quibus Græci etiam interfuerunt, & alia plurima, Tridentinúmque nouiſſimè, Romani Pontificis Primatum aſſerunt. Quid tu? *Si plus*, inquis lib. 4. c. 10. n. 11. *tribuunt Romano Pontifici, quàm legitima eius priuilegia ferunt, ſub iugo Romanæ Monarchiæ Eccleſiaſticæ iam dominantis gemendo tanto Monarchæ applaudere coacta ſunt*. Ita tu de cordibus tot millium Epiſcoporum ſanctorum iudicas, quòd corde gemuerint in Conciliis generalibus, quamuis Romanæ Monarchiæ vultu arriſerint, & manibus pedibuſque applauſerint. Vbi Chriſti Spiritus qui Patribus in Concilio adeſt, ne falſa definiant, nec aduerſus Eccleſiam portæ inferi inualeſcant? Vnde cùm foris gauderent, intus doluiſſe noſti? Quis reuelauit, eos inuito animo ſubſcripſiſſe, cùm lætâ ſpecie ſubſcripſerint? Nimirum tuo pede ſeu potiùs corde alios metiris. Nuper Sereniſſ. Regem etiam in rebus Eccleſiaſticis non minùs quàm temporalibus ſupremum Monarcham iuraméto ſolemni aſſeruiſti: hoc iuramentum, cùm probè ſcires, eo ſuſcepto Rempublicã tuam Ariſtocraticam, quam tot annis tanto labore ædificaueras, in puluerem redigi, gemens admiſiſti,

miſiſti,*tantoq́, Monarchæ*,ni miſer & Cantuarienſis Archiepiſcopi pupillus ſemper eſſe velles,*applaudere coactus es*. Quod ipſe feciſti, feciſſe ſanctos Epiſcopos in tot Conciliis generalibus, dum Pontificis Primatum approbant, facillimè credis. Infelix vndequaque, qui fingere falſa vis & debes, vt falſa tuearis, artem tamen fingendi non noſti,cùm contra teipſum perpetuò mentiaris. Nam qui modò de ſanctis Epiſcopis, in generalibus Conciliis gementes eos & coactos ſubſcripſiſſe aſſeris,lib.3.c.1. n.23. planè contrarium dicis. *Ne Papa quidem noſter*,inquis,*tametſi in miſeros Epiſcopos in ſuis Eccleſiis conſtitutos ſummam iam diu exerceat tyrannidem; vbi tamen Epiſcopi ſunt in legitimo Concilio, præſertim Oecumenico, congregati,nondum auſus eſt vi & tyrannicè in ſuam ſententiam quemquam compellere: & multò plus terroris incutiunt ei Epiſcopi in Concilio, quàm ipſe Epiſcopis.* Hæc tu. Si numquam adhuc Romanus Pontifex Epiſcopis in Concilio terrorem incuſſit,nec vi & terrore in ſuam ſententiam adegit;falſum eſt quod dicis,ſanctos Epiſcopos in tot Conciliis generalibus coactos & gementes Romanum Primatum definiuiſſe. Ita ſemper non candidus ſed mendax cordium iudex tuis verbis argueris.

SEXTVM

SEXTVM ARGVMENTVM.

In Patribus Græcis cauſſæ tuæ præſidium ponis, qui Græcâ fide te eſſe toto libro ſignificas, Orientem Septemtrioni, Græciam Angliæ, Conſtantinopolim non modò Romæ, ſed etiam Cantuariæ præferre: nihilominùs nec his parcis, ſed candidâ tuâ quam iactas conſcientiâ & ipſos denigras, & ſimulationis imò etiam adulationis accuſas. Libro 4.c. 10. n. 68. aſſignans varia genera reſponſionum, quæ poſſunt ad teſtimonia Patrum Græcorum, Sophronij, Tharraſij, Photij, Ignatij, & aliorum adhiberi. Vnum eſt, *quòd Græci nimiùm aſſententur.* & n.67. *Scias*, inquis, *Græcos interdum, vbi opem implorant, nonnihil applaudere Romano Pontifici & aſſentari*. & lib. 1. c. 10. n. 10. *Damaſcenus*, inquis, *non eſt tantæ auctoritatis, vt inter recentiores aut dormitantes aut adulantes non poſſit interdum reponi.* Itaque Græci Patres non minus quam Latini Romano Pontifici aſſentati ſunt, Primatumque inuitâ conſcientiâ & perfide verbo non corde agnouerunt. Sed cùm Damaſcenum dicis inter recentiores & nullius auctoritatis reponi poſſe, cur addis, *interdum*? Si recentior & nullius momenti, cur non ſemper? Nimirum quod corde ſentis, improuidè verbo innuis. Si Damaſcenus tecum ſentit, an-

tiquus & Magnus eſt, ſi contra te ſentit, recentior & nullus eſt. Patres auctoritatem non tibi dant, ſed à te ſumunt. Quam tuam mentem etiam lib. 2. c. 10. n. 62. patefacis. Trullanos Patres, quos dicis eſſe ſummæ auctoritatis, Catholici reiiciunt multis nominibus: vno, quòd Canones Concilij Carthaginenſis, quo ſtatuitur, Miniſtros qui deſeruiunt altari, omnino continentes eſſe debere, exponant de continentiâ ad tempus, quamdiu certis diebus ad ſacra miniſteria deſtinati ſunt. *Meritò*, inquis, *ita exponunt Canonem Patres Trullani.* Quî probas? *Ita enim*, inquis, *etiam ego ſuprà expoſui Canones Carthaginenſes.* Viden', Antoni, quod in corde abundat, quàm facilè per os erumpat? Trullana Synodus & illius expoſitio ſummę auctoritatis eſt. Vnde ſummam habet auctoritatem? *Nam & ego*, inquis, *ita expoſui.* A te auctoritas deriuatur in Concilium, non tua dicta Concilij auctoritate firmantur. Sed hoc obiter. Illud præcipuũ eſt, quòd ita facilè quemlibet perfidiæ, aſſentationis, & in rebus fidei proditæ conſcientiæ accuſas. Si quis tecũ non ſentit, non modò deceptus, ſed etiã deceptor, adulator, veritatis agnitæ proditor eſt. Quãta temeritas, imò inſipientia, qui cùm ceteros ſimulatores facias, vnum te ſinceram mentem habere iactas, & tibi credendum putas!

Se-

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

De Patribus qui poſt annum Chriſti milleſimum, præſertim à S. Bernardi tempore floruerunt, ita lib. 4. c. 10. n. 95. vniuerſim cenſuram fers: *Alios verò poſteriores magnâ ex parte paraſitos & aſſentatores, malaq; fidei deceptores, & contra propriam conſcientiam & ſcientiam contentioſos & verboſos diſputatores, iſthac in causâ reijcimus penitus, ne dicam contemnimus.* Ita tu de ſex Chriſtianis ſæculis. Ego verò de te dixerim, quod de Donatiſtarum Epiſcopis, vniuerſos per orbem Epiſcopos, à quibus damnabantur, impietatis condemnantibus dixit Augùſtinus: *Quid hac ſtultitiâ, imò dementiâ reperitur inſanius? Ex veſtro iſta dicitis. nam qui mendacium loquitur, de ſuo loquitur. Sed ſicut homines mentimini, quia ſicut homines, hominibus qui vos damnant iraſcimini.* Neque ex tuis dictis te mendacij conuincere difficile eſt: nam quàm temerè & nullo fundamento hæc fingas, colligitur ex illius probatione, quam ſtatim ſubiungis numer. 96. *Vt pateat*, inquis, *illos, qui magnum Romanum Primatum ſuis tuentur & extollunt ſcriptis, contra conſcientiam facere*, &c. *hîc vnicum profero, ſed magni momenti exemplum. Petrus Damiani vndecimi poſt Chriſtum ſæculi homo, alioquin pius*, &c. *vt homo tamen & ipſe*

Lib. 1. con. Epiſt. Parmen. c. 2.

ſeductus, ſæpiſsimè Papatum aſſerere conatus eſt. Vbi tamen aliquando Alexander II. & Hildebrandus eius Archidiaconus eum pupugerunt, omnia penè reuocauit, & quin apertam palinodiam caneret parum abfuit. Audiamus ipſum ad Alexandrum ſcribentem. Hoccine mihi, Venerabilis Pater, meritum reddidiſti, quòd cauſæ tuæ perorator in ſanctorum Pontificum Conciliis toties exſtiti, quòd in Legationis tuæ curis atque negotiis frequenter in ſæcularium laicorumq́; conuentu quaſi quidam cauſidicus declamaui. Quid fecerim, quídve pertulerim, examinis veſtri cenſura diſcutiat, nec coactus digna querela compellar effluere, quod adhuc ſilentio ſupprimens vix poſſum ſilentio occultare. Hoc enim me necdum Roma referentem vel ſcribentem audiuit, necdum aliјs res iſta quæ ſanctitatis veſtræ famam laceraret, innotuit, &c. Poſt iſta Damiani verba tu peroras: *Quid eſt hoc quod ſilentio ſupprimit, & vix poteſt occultare? Quid eſt quod necdum Roma ſcribi aut dici cognouit? cur labiis digitum ſuperponit? niſi profectò, vt ſic fermè apertè ſignificaret, ſe contrarium & ſentire, & poſſe proloqui, quàm de Papatu iam toties & locutus fuerat & ſcripſerat: & ſe adulatorem fuiſſe aperta propemodum confeſsione fateretur*. Hæc tu: quanto conatu quàm magnas nugas agis! quàm benè dixit Magnus Imperator, *hæreticos ſtultos eſſe, malitiam*

Conſtant. apud Athanaſ. Apol. 2

litiam in lingua & plumbeas iras circumferre. Mendacia enim de Catholicis igneâ quidem malitiâ, ſed *plumbeo* ingenio fingunt. Tuam in Petrum Damianum iram *plumbeam* duo probant. Primò tecum ſtupidè ipſe pugnas. Non enim cohærent iſta quæ dicis, Petrum Damiani contra conſcientiam & ſcientiam Papatum aſſeruiſſe, & tamen vt hominem alioqui pium ſeductum Papatum aſſeruiſſe. Nam qui contra conſcientiam ſcribit, tamquam verum ſcribit, quod falſum eſſe probè nouit; qui verò ſeductus falſum quid aſſerit, id vt verum aſſerit quod verum eſſe credit, neque contra conſcientiam, ſed conſcientiâ errante ſcribit. Igitur ſi Petrus Damianus Papatũ vt homo ſeductus aſſeruit, quomodo Papatum contra conſcientiam aſſeruit? quomodo non deceptus ſed deceptor fuit, imò adulatorũ contra propriam ſcientiã Papatum fingentium vnicum propè exemplar? Quàm plumbea ſit hæc accuſatio, vides. Secundò, plumbea eſſe probatur ex illâ vehementiæ plenâ, ſed prudentiæ vacuâ interrogatione, quâ declaras quàm ſcire cupias, quid ſit illud quod Damianus ſilentio ſupprimit. Nec dubitas ſanè eſſe tractatum aliquem, quem ſi dediſſet in lucem, Primatus Pontificij toties aſſerti palinodiam ceciniſſet. Nugæ. Damianus enim clariſſimè dicit, cuiuſmodi res illa

ceſſione à Petro? Quàm verò temerè! Nam quî tibi conſtare poteſt, corda noſtra nullâ erga S. Petrum affici deuotione, vt eum totius Eccleſiæ Primatem agnoſcamus? Sanè de Petri poteſtate ſingulari, in Euangelio tam ſingularia teſtimonia habentur, vt ſi Petri Primatus verus non ſit, falli tamen in eo aſſerendo pius quiſpiam facillimè poſſit. Hoc tuis dictis à te euincendum eſt. Libro 4. c.4.n.17.dicis, S. Leonem *ſibi abſolutam Monarchiam Eccleſiaſticam diuinâ per Petrum inſtitutione affinxiſſe*. & eodem lib.4.c.10.n.12. dicis, *ceteros poſt Leonem Pontifices Primatum ſibi diuino Iure per ſucceſſionem à Petro deberi exiſtimaſſe*. tertiò ibidem dicis, hos motos fuiſſe *non verâ quidem, ſed apparenti ratione.* Hoc Opere, quàm ſit hæc ratio vera, ſolida, certa, demonſtro. Nunc id ſumo, quod tu, quia negare non potes, ſpontè concedis, rationem iſtam, quæ Monarchiam à Petro deriuat ad ſucceſſores, ſaltem apparentem & probabilem eſſe. hac enim apparentiâ Monarchiæ Romanæ conceſſâ, ſtatim apparet temeritas tua, quâ Catholicos illam aſſerentes nullâ pietate moueri pronuntias. Nam ſi Petri Monarchica poteſtas ad ſucceſſorem deriuanda in Euangelio ſaltem appareat, quî certus eſſe potes, Catholicos, dum Petrum Eccleſiæ Monarcham ſtatuunt, Primatus

Euan-

Euangelici apparentiâ non decipi? Quî tibi conſtat, Romanos Pontifices antiquos, deceptos apparentiâ Euangelicâ, Monarchiam *pio* errore aſſeruiſſe? nos, quos *Monarchicos* appellas, quibus, vt Monarchiam aſſeramus, ad Scripturæ apparentiam, tantorum Patrum auctoritas accedit, nullâ ſacræ veritatis & dignitatis Petri ſpecie moueri? imò Petri Monarchiam aſſerere non niſi impiâ mente, vt eiecto vero Deo, Romanum Pontificem Deum faciamus? Nimirum impius ipſe qui ſit, impietatis & ἀθεότητος alios quàm facillimè damnat.

SECVNDVM ARGVMENTVM.

Theologis Pariſienſibus in Præfatione tuâ adblandiris n. 10. *Liberum venerandæ totíque orbi Chriſtiano conſpicuæ Sorbonæ iudicium expeto: cuius ego vt acumen ſoliditatémque ſemper ſum admiratus, ita conſtantiam libertatémque plurimi facio, vtpote quæ non temporibus famulari, ac ad oculum ſeruire ſolita eſt, ſed veritatem ipſam omnibus præiudiciis & perturbationibus humanis anteferre.* Ita tu de Pariſienſibus in Præfatione tuâ, quam velut portum dixerim libri tui, quem mari turbato & inſano comparauerim. Nam ſolent maria procelloſiſſima, ad ſe nauigia blandâ portus malaciâ pellicere, quæ prouecta in altum fluctibus verberant, & ad ſcopulos fœdâ tem-

peſtate allidunt : ita tu de Pariſienſibus, quos in Præfatione tuâ *ſolidos, acutos, conſtantes, liberos* laudas, in libro tuo contraria omnia dicis, & velut leuiſſima ventorum ludibria in omnem partem verſatiles exagitas.

Primò, Soliditatem doctrinę illis tribuis; ſed illâ poſteà lib. 2. c. 5. n. 39. eoſdem priuas, de Ioanne Gerſonio Sorbonæ Principe ita ſcribens: *Propterea*, inquis, *hæreticũ eſt, quod ponit Gerſonius, plenitudinem poteſtatis eſſe in Papâ ſubiectiuè & fontaliter.* Ita doctrinã Sorbonæ ſolidam laudas tuo ſenſu, cui nulla doctrina ſolidior eſt, quàm quæ maximè hæretica eſt. Deinde cùm lib. 4. c. 7. n. 3. dicis, Pariſienſes *in retinendâ monarchiâ nouis vti ac propriis placitis*, ſolidæ & toti orbi conſpicuæ venerandæque doctrinæ laudem illis eripis. Nam placita eorum ſi ſunt propria, quî Catholica eſſe poſſunt & toti orbi Chriſtiano conſpicua? ſi noua, quî verè Catholicis veneranda? cùm non niſi antiqua fidei dogmata verè Catholici venerentur.

Secundò, Libertatem laudaueras in Pariſienſibus, temporibus famulari neſciam, nec ob metum vera reticentem. At lib. 4. c. 27. n. 8. de Ioanne Gerſonio Sorbonæ, in in hac præſertim quæſtione, duce, *Gerſonius*, inquis, *Papatus vanitatẽ in formâ & magiſtraliter, timidè tamen & ſub humanâ cautelâ explica-*

plicauit. Si timidè & ſub humanâ cautelâ; vbi libertas temporibus famulari neſcia, ſed quæ veritatem humanis perturbationibus omnibus antefert? & num. 7. *Theologi Pariſienſes*, inquis, *in Concilio Conſtantienſi, ne contra torrentem niterentur, Papatum retinere coacti ſunt verbo, quem reipsâ demoliebantur.* Iterùm: *Dum audimus, Gerſonium & ſocios viros doctiſsimos Papatum retinere & tueri, ſciamus profectò id ab eis verbis tantùm dici, non ex animi ſententiâ, & ad vitanda ſcandala; iuxta illud eiuſdem Gerſonis documentum: Poteſt aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falſitatum dogmatizatio permitti. Hoc documento vſos fuiſſe Gerſonium & ſocios, non dubito, dum Papatum ore tantùm defendunt & retinent*. Hæc tu; dicens te ſcire, nec dubitare, Pariſienſes, dum Papatum retinent, mentiri, quia *verbo tantùm* retinent, non corde; ſermone, *non ex animi ſententiâ.* Vnde noſti, Pariſienſium corda à verbis diſſentire? *Scio*, inquis, *nec dubito.* quis tibi ſecreta cordium reuelauit? Nam quod affers ex Gerſonio documentum, non oſtendit Pariſienſes docere, mendaciis in rebus fidei vti licitum eſſe, ſed te documento Gerſonij ad hoc probandum magnâ cum inſipientiâ vti. Aliud enim eſt, permittere falſa doceri, nec verbo repugnare, quamuis cordè diſſen-

De vitâ ſpirit. animæ, ſect. 4. Coroll. 10.

tias, quod nonnumquam licere ob maiora vitāda ſcandala, Gerſonius dicit: aliud verò, tamquam verum dicere, quod falſum eſſe noſti, quod eſt vno verbo, mentiri; quod facere vel in rebus ludicris, ſemper malum eſt; in rebus autem fidei facere, ſummè impium. Pariſienſes autem, te fatente, non tacent & ſilent, ſed Papatum verbo aſſerunt, Monarchiam Romani Pontificis fidei dogma eſſe docent, neminem ſaluari qui id neget, contrariam doctrinam impiam & deteſtandam eſſe. Nec ſolùm hæc aſſerunt, ſed etiam argumentis probare conantur. Hæc omnia ſi Pariſienſes tantùm ore dicunt, corde autem aliter ſentiunt, ſi verbo affirmant, non ex animi ſententiâ, certè contra conſcientiam peccant, contra agnitam veritatem pugnant, quod eſt *ſceleris in Spiritum ſanctum* reos eſſe. Quanta ſtultitia tua eſt, qui Pariſienſes fingere, mentiri, ore tantùm loqui, non ex animi ſententiâ, denique veritatis proditores eſſe declamas; tamen ab iiſdem poſtulas, vt te veritatem depoſitis dolis & fallaciis candido cordis affectu propugnare putent, & tibi hoc affirmanti credant. Sed rurſus interrogo, Quî noſti, ore tantùm, repugnante cōſcientiâ, Pariſienſes Papatum defendere, & dogma tuum velut hæreticum damnare, cùm nullus ſcire poſſit quid ſit in

homine,

homine,niſi ſpiritus qui eſt in homine. Quo ſpiritu reuelante cordium abdita penetraſti? Sanè non opinor alio ſpiritu reuelante, quàm ſpiritu, qui eſt in homine tuo: qui cùm veritatem flocci faciat, & quò placeat hominibus, quiduis dicere paratus ſit, ſuo ceteros mortales ſpiritu afflari non dubitat.

Tertium argumentum.

Chriſtianis Imperatoribus antiquiſſimis & primis non parcis. Romani Pōtificis Monarchiam Marcianus, Arcadius, Theodoſius vterque, & vterque Valentinianus, Galla, Placidia, Iuſtinus, Iuſtinianus, & alij Imperatores edictis tuentur. Dicunt ſe ad hoc moueri pietate & reuerentiâ erga S. Petrum Apoſtolorum Principem, cuius Romana Sedes eſt. Quid tu cenſes, Antoni? *Neque ego puto*, inquis lib.4.c.3.n.22. *hæc ex Imperatorum pietate erga Romanam Eccleſiam emanaſſe, ſed ex ſolo typho ſuperbiæ, vt ipſorum Imperialis ciuitas tantò eſſet ſplendidior.* Ita tu cordium Principum cenſor. Apertè dicis, omnes illos Imperatores mentiri, cùm dicunt ſe moueri pietate erga S. Petrum & illius Sedem; qui tamen, ſi tibi credimus, ſolâ ſuperbiâ mouebantur. Non quæro vnde arcana iſta didiceris, cùm ſat ſciam, te non niſi cordis tui arcana reuelare, de cuius typho ſuper-

ſuperbiæ tibi optimè conſtare poteſt. Illud admiror, te corda Imperatorum, qui iam ante mille & trecentos annos mortui ſunt, tam certò ſcire potuiſſe, tamen tui cordis ignarum adeò eſſe, vt non prænoueris, quid poſt pauca folia de his ipſis Imperatoribus dicturus eſſes; de quorum cordibus longè aliam ſententiam profers hoc ipſo libro 4. c. 10. n. 94. *Planum eſt*, inquis, *multos Imperatores partim ex deuotione piâ, magis autem ex ciuili prudentiâ Romanum Pontificem ad Monarchiam ſpiritualem euehere voluiſſe.* Hæc tu. Iam ſi *partim ex deuotione piá, partim ex prudentiâ*; quomodo verum, *non ex pietate, ſed ex ſolo typho ſuperbiæ?* Sic vertigine te laborare oportet, qui ambulare vis ſuper pennas ventorum, & in cordium humanorum ſecretis, quæ abyſſi inſcrutabiles ſunt.

QVARTVM ARGVMENTVM.

De Romanis Pontificibus lib. 1. cap. 3. num. 24. *Omnium*, inquis, *Romanorum Pontificum in hoc genere* (de Petri ſcilicet Primatu) *dicta meritò ſuſpecta poſſunt haberi.* Omnes Romanos Pontifices ſuſpectos habes, nullum excipis, ne Petrum quidem *Romanæ Eccleſiæ*, ſi credimus Ambroſio, *ſacerdotem.* Plu- De Sacrament. lib. 3 c. 1. ris dicis facienda teſtimonia *Cypriani* quàm *Leonis*; nec intelligis, ſi ſuſpectus ſit Leo, loquens de Primatu Petri à quo ad ipſum deriuetur,

uetur, non minùs ſuſpectum eſſe poſſe Cyprianum, loquentem de paritate Apoſtolorum reliquorum, à quibus (ſi tibi credimus) ad ſingulos Epiſcopos paritas cum Romano deſcendit. Sed, Antoni, ſi Romani omnes Pontifices meritò ſuſpecti ſint, nec tot Martyribus & ſanctiſſimis viris tutò fides adhiberi poſſit; *ſi naturali blandoq́; propria excellentia appetitu deliniti deflexerint vniuerſi poſt Leonem Magnum, vt Primatum ſibi diuino Iure debitum vſurparent*, vt ais lib. 4. c. 10. n. 12. quanta dementia eſt, à nobis poſtulare, vt tibi iuranti credamus te rectis lineis Scripturæ & Patrum inniti, neque vel gloriæ vel propriæ excellentiæ, vel cum Romano paritatis appetitu delinitum, à regulâ & normâ veritatis vel latum quidem vnguem deflectere? Scilicet tu ſolus ſanctus es, vt à veritate ne latum quidem vnguem deflectere cupiditate gloriæ credi debeas: qui tamen viros, quos negare non audes vitâ ſanctiſſimos, Primatus cupiditate fanda atque infanda feciſſe dicas! Sanè de Zoſimo Romano Pontifice, qui leui errore vel nullo Sardicenſes Canones pro iure appellationum Nicænos appellauit, ita lib. 4. c. 8. n. 34. ſcribis: *Ego Zoſimum non abſque artificio deditâ operâ æquiuocare voluiſſe dicam, & Canonem Sardicenſem, nullius tunc auctoritatis, pro Nicæno maxima*

maximæ auctoritatis, nec illum fideliter, ſed valdè alteratum, conatum fuiſſe ſupponere, vt Africanam Eccleſiam antidotum iam apparantem ſibi plenè ſubiiceret. Hæc tu. Qui noſti, Zoſimum magnæ ſanctitatis Pontificem, non fuiſſe deceptum, ſed deditâ operâ fallere voluiſſe, cùm facili errore potuerit Nicænum pro Sardicenſi dicere, cùm vtrumque Concilium generale fuerit, eâdem de causâ, ab iiſdem pænè Epiſcopis, prope vno eodemque tempore celebratum? *Ego*, inquis, *Zoſimum deditâ operâ fallere voluiſſe dicam*, imò Canonem Sardicenſem non fideliter citaſſe, ſed *valdè alteratũ.* Hoc ſanè dicis, Antoni; ſed tuo more hoc dicis, qui ibidem vix lineis decem interpoſitis contrarium dicis. *Si Sardicenſes Canones*, inquis, *fuiſſent alicuius tũc auctoritatis, Zoſimus, qui* AD VERBVM *Sardicenſem Canonem poſuerat in ſuo Commonitorio, non eum dixiſſet eſſe Nicænum.* Benè accidit, quòd memoriâ deſtituatur & mente, tua de cordibus iudicandi temeritas; quò pateat omnibus, quàm officio, cui te ſuperbè ingeris, ineptus ſis. Nam quomodo Zoſimũ iuſtè damnas Canonis Sardicenſis non fideliter adducti, ſed valdè alterati, pro quo tu ipſe, qui iudex ſedes, teſtimonium fers, quòd Canonem poſuerit AD VERBVM, hoc eſt, neque ſyllabam vnam addiderit vel omiſerit.

QVIN-

QVINTVM ARGVMENTVM.

Concilia generalia, Lateranenſe, Florentinum, Lugdunenſe, in quibus Græci etiam interfuerunt, & alia plurima, Tridentinúmque nouiſſimè, Romani Pontificis Primatum aſſerunt. Quid tu? *Si plus*, inquis lib. 4. c. 10. n. 11. *tribuunt Romano Pontifici, quàm legitima eius priuilegia ferunt, ſub iugo Romanæ Monarchiæ Eccleſiaſticæ iam dominantis gemendo tanto Monarchæ applaudere coacta ſunt*. Ita tu de cordibus tot millium Epiſcoporum ſanctorum iudicas, quòd corde gemuerint in Conciliis generalibus, quamuis Romanæ Monarchiæ vultu arriſerint, & manibus pedibuſque applauſerint. Vbi Chriſti Spiritus qui Patribus in Concilio adeſt, ne falſa definiant, nec aduerſus Eccleſiam portæ inferi inualeſcant? Vnde cùm foris gauderent, intus doluiſſe noſti? Quis reuelauit, eos inuito animo ſubſcripſiſſe, cùm lætâ ſpecie ſubſcripſerint? Nimirum tuo pede ſeu potiùs corde alios metiris. Nuper Sereniſſ. Regem etiam in rebus Eccleſiaſticis non minùs quàm temporalibus ſupremum Monarcham iuraméto ſolemni aſſeruiſti: hoc iuramentum, cùm probè ſcires, eo ſuſcepto Rempublicá tuam Ariſtocraticam, quam tot annis tanto labore ædificaueras, in puluerem redigi, gemens admiſiſti,

miſiſti,*tantoq́ Monarchæ*,ni miſer & Cantuarienſis Archiepiſcopi pupillus ſemper eſſe velles,*applaudere coactus es*. Quod ipſe feciſti, feciſſe ſanctos Epiſcopos in tot Conciliis generalibus, dum Pontificis Primatum approbant, facillimè credis. Infelix vndequaque, qui fingere falſa vis & debes, vt falſa tuearis, artem tamen fingendi non noſti,cùm contra teipſum perpetuò mentiaris. Nam qui modò de ſanctis Epiſcopis, in generalibus Conciliis gementes eos & coactos ſubſcripſiſſe aſſeris,lib.3.c.1. n.23. planè contrarium dicis. *Ne Papa quidem noſter*,inquis,*tametſi in miſeros Epiſcopos in ſuis Eccleſiis conſtitutos ſummam iam diu exerceat tyrannidem; vbi tamen Epiſcopi ſunt in legitimo Concilio, præſertim Oecumenico, congregati,nondum auſus eſt vi & tyrannicè in ſuam ſententiam quemquam compellere: & multò plus terroris incutiunt ei Epiſcopi in Concilio, quàm ipſe Epiſcopis.* Hæc tu. Si numquam adhuc Romanus Pontifex Epiſcopis in Concilio terrorem incuſſit,nec vi & terrore in ſuam ſententiam adegit;falſum eſt quod dicis,ſanctos Epiſcopos in tot Conciliis generalibus coactos & gementes Romanum Primatum definiuiſſe. Ita ſemper non candidus ſed mendax cordium iudex tuis verbis argueris.

SEXTVM

Sextvm argvmentvm.

In Patribus Græcis cauſſæ tuæ præſidium ponis, qui Græcâ fide te eſſe toto libro ſignificas, Orientem Septemtrioni, Græciam Angliæ, Conſtantinopolim non modò Romæ, ſed etiam Cantuariæ præferre: nihilominùs nec his parcis, ſed candidâ tuâ quam iactas conſcientiâ & ipſos denigras, & ſimulationis imò etiam adulationis accuſas. Libro 4. c. 10. n. 68. aſſignans varia genera reſponſionum, quæ poſſunt ad teſtimonia Patrum Græcorum, Sophronij, Tharraſij, Photij, Ignatij, & aliorum adhiberi. Vnum eſt, *quòd Græci nimiùm aſſententur.* & n. 67. *Scias*, inquis, *Græcos interdum, vbi opem implorant, nonnihil applaudere Romano Pontifici & aſſentari.* & lib. 1. c. 10. n. 10. *Damaſcenus*, inquis, *non eſt tantæ auctoritatis, vt inter recentiores aut dormitantes aut adulantes non poſſit interdum reponi.* Itaque Græci Patres non minus quam Latini Romano Pontifici aſſentati ſunt, Primatumque inuitâ conſcientiâ & perfide verbo non corde agnouerunt. Sed cùm Damaſcenum dicis inter recentiores & nullius auctoritatis reponi poſſe, cur addis, *interdum*? Si recentior & nullius momenti, cur non ſemper? Nimirum quod corde ſentis, improuidè verbo innuis. Si Damaſcenus tecum ſentit, an-

tiquus & Magnus eſt, ſi contra te ſentit, recentior & nullus eſt. Patres auctoritatem non tibi dant, ſed à te ſumunt. Quam tuam mentem etiam lib. 2. c. 10. n. 62. patefacis. Trullanos Patres, quos dicis eſſe ſummæ auctoritatis, Catholici reiiciunt multis nominibus: vno, quòd Canones Concilij Carthaginenſis, quo ſtatuitur, Miniſtros qui deſeruiunt altari, omnino continentes eſſe debere, exponant de continentiâ ad tempus, quamdiu certis diebus ad ſacra miniſteria deſtinati ſunt. *Meritò*, inquis, *ita exponunt Canonem Patres Trullani.* Quî probas? *Ita enim*, inquis, *etiam ego ſuprà expoſui Canones Carthaginenſes.* Viden', Antoni, quod in corde abundat, quàm facilè per os erumpat? Trullana Synodus & illius expoſitio ſummę auctoritatis eſt. Vnde ſummam habet auctoritatem? *Nam & ego*, inquis, *ita expoſui.* A te auctoritas deriuatur in Concilium, non tua dicta Concilij auctoritate firmantur. Sed hoc obiter. Illud præcipuũ eſt, quòd ita facilè quemlibet perfidiæ, aſſentationis, & in rebus fidei proditæ conſcientiæ accuſas. Si quis tecũ non ſentit, non modò deceptus, ſed etiã deceptor, adulator, veritatis agnitæ proditor eſt. Quãta temeritas, imò inſipientia, qui cùm ceteros ſimulatores facias, vnum te ſinceram mentem habere iactas, & tibi credendum putas!

SEPTIMVM ARGVMENTVM.

De Patribus qui poſt annum Chriſti milleſimum, præſertim à S.Bernardi tempore floruerunt, ita lib. 4. c. 10. n. 95. vniuerſim cenſuram fers: *Alios verò poſteriores magnâ ex parte paraſitos & aſſentatores, maleq́; fidei deceptores, & contra propriam conſcientiam & ſcientiam contentioſos & verboſos diſputatores, iſthac in causâ reÿcimus penitus, ne dicam contemnimus.* Ita tu de ſex Chriſtianis ſæculis. Ego verò de te dixerim, quod de Donatiſtarum Epiſcopis, vniuerſos per orbem Epiſcopos, à quibus damnabantur, impietatis condemnantibus dixit Augùſtinus: *Quid hac ſtultitiâ, imò dementiâ reperitur inſanius? Ex veſtro iſta dicitis. nam qui mendacium loquitur, de ſuo loquitur. Sed ſicut homines mentimini, quia ſicut homines, hominibus qui vos damnant iraſcimini.* Neque ex tuis dictis te mendacij conuincere difficile eſt: nam quàm temerè & nullo fundamento hæc fingas, colligitur ex illius probatione, quam ſtatim ſubiungis numer. 96. *Vt pateat*, inquis, *illos, qui magnum Romanum Primatum ſuis tuentur & extollunt ſcriptis, contra conſcientiam facere*, &c. *hîc vnicum profero, ſed magni momenti exemplum. Petrus Damiani vndecimi poſt Chriſtum ſæculi homo, alioquin pius*, &c. *vt homo tamen & ipſe*

Lib. 1. con. Epiſt. Parmen. c. 2.

ſeductus, ſæpiſſimè Papatum aſſerere conatus eſt. Vbi tamen aliquando Alexander II. & Hildebrandus eius Archidiaconus eum pupugerunt, omnia penè reuocauit, & quin apertam palinodiam caneret parum abfuit. Audiamus ipſum ad Alexandrum ſcribentem. Hoccine mihi, Venerabilis Pater, meritum reddidiſti, quòd cauſæ tuæ perorator in ſanctorum Pontificum Conciliis toties exſtiti, quòd in Legationis tuæ curis atque negotiis frequenter in ſæcularium laicorumq́; conuentu quaſi quidam cauſidicus declamaui. Quid fecerim, quídve pertulerim, examinis veſtri cenſura diſcutiat, nec coactus digna querela compellar effluere, quod adhuc ſilentio ſupprimens vix poſſum ſilentio occultare. Hoc enim me necdum Roma referentem vel ſcribentem audiuit, necdum aliÿs res iſta quæ ſanctitatis veſtræ famam laceraret, innotuit, &c. Poſt iſta Damiani verba tu peroras: *Quid eſt hoc quod ſilentio ſupprimit, & vix poteſt occultare? Quid eſt quod necdum Roma ſcribi aut dici cognouit? cur labiis digitum ſuperponit? niſi profectò, vt ſic fermè apertè ſignificaret, ſe contrarium & ſentire, & poſſe proloqui, quàm de Papatu iam toties & locutus fuerat & ſcripſerat: & ſe adulatorem fuiſſe aperta propemodum confeſſione fateretur.* Hæc tu: quanto conatu quàm magnas nugas agis! quàm benè dixit Magnus Imperator, *hæreticos ſtultos eſſe, malitiam*

Conſtant. apud Athanaſ. Apol. 2

litiam in lingua & plumbeas iras circumferre. Mendacia enim de Catholicis igneâ quidem malitiâ, ſed *plumbeo* ingenio fingunt. Tuam in Petrum Damianum iram *plumbeam* duo probant. Primò tecum ſtupidè ipſe pugnas. Non enim cohærent iſta quæ dicis, Petrum Damiani contra conſcientiam & ſcientiam Papatum aſſeruiſſe, & tamen vt hominem alioqui pium ſeductum Papatum aſſeruiſſe. Nam qui contra conſcientiam ſcribit, tamquam verum ſcribit, quod falſum eſſe probè nouit; qui verò ſeductus falſum quid aſſerit, id vt verum aſſerit quod verum eſſe credit, neque contra conſcientiam, ſed conſcientiâ errante ſcribit. Igitur ſi Petrus Damianus Papatũ vt homo ſeductus aſſeruit, quomodo Papatum contra conſcientiam aſſeruit? quomodo non deceptus ſed deceptor fuit, imò adulatorũ contra propriam ſcientiã Papatum fingentium vnicum propè exemplar? Quàm plumbea ſit hæc accuſatio, vides. Secundò, plumbea eſſe probatur ex illâ vehementiæ plenâ, ſed prudentiæ vacuâ interrogatione, quâ declaras quàm ſcire cupias, quid ſit illud quod Damianus ſilentio ſupprimit. Nec dubitas ſanè eſſe tractatum aliquem, quem ſi dediſſet in lucem, Primatus Pontificij toties aſſerti palinodiam ceciniſſet. Nugæ. Damianus enim clariſſimè dicit, cuiuſmodi res illa

eſſet quam celabat ; nimirum crimen aliquod occultum Pontificis, quod euulgatum, non Primatum Romanum configeret, ſed Alexandri II. *ſanctitatis famam laceraret.* Ex hoc autem, quòd Petrus Damiani crimen occultauerit Pontificis, colligis Primatum corde non crediđiſſe, ſed ſimulatorem fuiſſe: eo verò condemnato, inde non tamquam ſuſpicioſum coniectas, ſed tamquam euidés concludis, Auctores reliquos vniuerſim, qui magnum Primatum Pontificis ſcriptis ſuis extollunt, contra propriam & ſcientiam & conſcientiam ſcribere. Dicis enim, hoc exemplo Petri Damiani te vti, *vt pateat, illos qui magnum Primatum Romanum ſuis tuentur ſcriptis, contra conſcientiam id facere.* Si Vigilantianis, qui nullos caſtos ex Clero credebant, benè obiicit Hieronymus, ſatis oſtendunt quàm ſanctè viuant, qui malè de omnibus ſuſpicantur; certè ſatis conſcientiam tuam, quam iactas puram, quàm ſit tetra & impia oſtendis, qui de Scriptoribus Romanis, Pariſienſibus, modernis, antiquis, Græcis, Latinis, Imperatoribus Chriſtianis, Summis Pontificibus antiquiſſimis, Conciliis generalibus pleniſſimis, ſex Chriſtianis ſæculis, tetra & impia non ſuſpicaris modò, ſed certiſſimè affirmas, vbi ne leuiſſima quidem iuſtæ ſuſpicionis vmbra eſt.

His

His duo addam argumenta, quæ probent te veritatem penſi non habere. Vnum quòd tibi ipſi nullâ conſcientiâ faueas; Alterum, quòd quos amas vel amare videri vis, nullâ conſcientiâ laudes.

OCTAVVM ARGVMENTVM.

Nam lib.4.c.7.n.17.dicis,priſcum Primatum Romani Pontificis non eſſe hunc modernum: illum fuiſſe Canonum vindicem, iſtum eſſe vaſtatorem. Hoc dicis, quia Metropolitica tua iura pulſauit, Suffraganeos tuos, quos non tantùm *ſpiritualibus cenſuris omnibus, ſed etiam corporalibus pœnis, depoſitione, exilio, tetro carcere, oculorum effoſſione* te mulctare poſſe dicis, iuuit & defendit. Lib. 3.c.7.
Hinc illæ lacrymæ, & illud à te toties repetitum, *Eheu!* Sed quæro, an tuum ius Metropoliticũ Romanus ſuo arbitraru arctauerit, an ſecundùm Canones ab Eccleſiâ præſcriptos? Certè ſecundùm Canones Concilij Tridentini. Nam lib. 3.c.7.n.29. ita ſcribis: *Satis habemus*, inquis, *quod miremur, dum in Concilio Tridentino cernimus, Metropolitanorum poteſtatem erga ſuos Suffraganeos non parum reſtrictam & coarctatam.* Sed quid mireris? Non poteſtas Metropolitica Iuris humani eſt per Eccleſiam ſtabilita? hoc concedis. Quę Iuris humani ſunt à prioribus Conciliis

eſſet quam celabat ; nimirum crimen aliquod occultum Pontificis,quod euulgatum, non Primatum Romanum configeret, ſed Alexandri II. *ſanctitatis famam laceraret.* Ex hoc autem , quòd Petrus Damiani crimen occultauerit Pontificis , colligis Primatum corde non credidiſſe , ſed ſimulatorem fuiſſe: eo verò condemnato , inde non tamquam ſuſpicioſum coniectas , ſed tamquam euidés concludis, Auctores reliquos vniuerſim , qui magnum Primatum Pontificis ſcriptis ſuis extollunt, contra propriam & ſcientiam & conſcientiam ſcribere. Dicis enim, hoc exemplo Petri Damiani te vti, *vt pateat, illos qui magnum Primatum Romanum ſuis tuentur ſcriptis, contra conſcientiam id facere.* Si Vigilantianis , qui nullos caſtos ex Clero credebant , benè obiicit Hieronymus , ſatis oſtendunt quàm ſanctè viuant , qui malè de omnibus ſuſpicantur ; certè ſatis conſcientiam tuam, quam iactas puram , quàm ſit tetra & impia oſtendis , qui de Scriptoribus Romanis, Pariſienſibus, modernis,antiquis, Græcis, Latinis, Imperatoribus Chriſtianis, SummisPontificibus antiquiſſimis,Conciliis generalibus pleniſſimis,ſex Chriſtianis ſæculis,tetra & impia non ſuſpicaris modò, ſed certiſſimè affirmas, vbi ne leuiſſima quidem iuſtæ ſuſpicionis vmbra eſt.

His

His duo addam argumenta, quæ probent te veritatem penſi non habere. Vnum quòd tibi ipſi nullâ conſcientiâ faueas; Alterum, quòd quos amas vel amare videri vis, nullâ conſcientiâ laudes.

OCTAVVM ARGVMENTVM.

Nam lib.4.c.7.n.17.dicis, priſcum Primatum Romani Pontificis non eſſe hunc modernum: illum fuiſſe Canonum vindicem, iſtum eſſe vaſtatorem. Hoc dicis, quia Metropolitica tua iura pulſauit, Suffraganeos tuos, quos non tantùm *ſpiritualibus cenſuris omnibus, ſed etiam corporalibus pœnis, depoſitione, exilio, tetro carcere, oculorum effoſſione* te mulctare poſſe dicis, iuuit & defendit. Lib. 3.c.7. Hinc illæ lacrymæ, & illud à te toties repetitum, *Eheu!* Sed quæro, an tuum ius Metropoliticũ Romanus ſuo arbitratu arctauerit, an ſecundùm Canones ab Eccleſiâ præſcriptos? Certè ſecundùm Canones Concilij Tridentini. Nam lib. 3.c.7.n.29. ita ſcribis: *Satis habemus*, inquis, *quod miremur, dum in Concilio Tridentino cernimus, Metropolitanorum poteſtatem erga ſuos Suffraganeos non parum reſtrictam & coarctatam.* Sed quid mireris? Non poteſtas Metropolitica Iuris humani eſt per Eccleſiam ſtabilita? hoc concedis. Quę Iuris humani ſunt à prioribus Conciliis

I 4 con-

conceſſa, nónne poſſunt à poſterioribus abrogari vel etiam reſtringi? etiam poſſe fateris? Quid igitur miraris, ſi Concilium Tridentinum, Catholicâ approbante Eccleſiâ, Metropolitæ poteſtatem, quam iudicauit nimiam, coarctauerit, cui tot Primates & Metropolitæ ſubſcripſerunt? *At hanc poteſtatem*, inquis, *totâ concedente Eccleſiâ ab ipſis penè Apoſtolorum temporibus integram habuerunt*. Multa dicis, quæ falſa ſunt; ſed vera ſint. Nónne poteſtas Patriarchalis, totâ concedente Eccleſiâ, ab ipſis Apoſtolorum temporibus viguit? Non hoc potes negare, & tamen Patriarchalem minui vel etiam penitus extingui per Nationalia Concilia, nedum per Generalia, affirmas & cupis libro 3. capite 10. num. 42. 43. & 44. Cur igitur Metropolita reſtringi non poterit? *De Patriarchis*, inquis, *non eſt quòd Eccleſiæ ſint admodum ſollicitæ: habere enim vnum ex his Patriarchis ſibi prælatum, non eſt de neceſſitate ſalutis. Eorum inſtitutio fuit tota Eccleſiaſtica, ſolius conſuetudinis & Iuris poſitiui, ad confuſiones vitandas. Dummodò Prouinciæ omnes habeant Metropolitanum, vel ad ſummum Primatem, toti penitus regiminis Eccleſiaſtici neceſſitati occurritur, ita vt neque ad ordinis Hierarchici diſpoſitionem Patriarcha ſit abſolutè neceſſarius*. Hæc tu:

quæ

quæ nemo legat, qui non videat te (quidquid fingas) non veritati, ſed dignitati tuæ velificari. Tu quia Epiſcopus, Metropolita, Primas es, habere Epiſcopum, qui dominetur in Presbyteros; habere Metropolitam, qui contineat in officio Epiſcopos; habere Primatem, qui Metropolitas ipſos cohibeat, eſt de neceſſitate ſalutis, vel Eccleſiaſtici regiminis: Patriarchas verò habere, qui ſuper Primates inuigilent, habere Summũ Pontificem, qui totius Eccleſiæ, quæ vnus grex eſt, ſupremam curam gerat, non eſt de neceſſitate ſalutis, nec diſpoſitionis Eccleſiaſticæ, vt Eccleſia ſit caſtrorum acies ordinata. Putáſne lectorem aliquem tibi poſſe contingere tam obtuſo ingenio, qui non te videat excellentiæ tuæ cupiditate excæcari, qui cùm cetera, quæ Iuris poſitiui ſunt, ab Eccleſiâ mutari poſſe putas, ſolùm iura Metropolitica, vel Primatium, quia tua ſunt, *firma, immobilia, inconcuſſa eſſe* debere cæcâ quadam ſuperbiâ affirmas. Lib. 3. c. 12 n. 1.

Nonum argumentum.

Quàm tuos quos amas vel amare videri vis, non ſolùm abſque omni conſcientiâ, ſed etiam verecundiâ laudes, luculentum habemus exemplum in conciúnculâ tuâ, quam Londini in quodam ſacello patriâ tuâ

linguâ habuiſti, vbi circa finem ſic peroras: *In Papalibus*, inquis, *Eccleſiis oculi, id eſt, Epiſcopi cæci ſunt & tenebroſi omnes, nec meipſum excipio, qui cæcus cum cæcis eram, neque huc docendi ſed diſcendi causâ veni. & propterea corpus illius Eccleſiæ tenebroſum eſt totum. In hac verò Eccleſiâ oculi omnes ſunt lucidi, clari, perſpicui, ideóq; hæc Eccleſia tota pulchra & lucida eſt*. Hæc tu. Miror autem cur huius pulchræ & totius lucidæ Eccleſiæ ornamenta ſingillatim non enumeraueris; præſertim verò Epiſcoporum vxores poſt Miniſterium vel etiam Epiſcopatum ſuſceptum ductas longè pulcherrimas. Nam ſi tota pulchra illa Eccleſia eſt, ſequitur profectò, iſtam nubendi poſt Epiſcopatum conſuetudinem non modò pulchram, ſed etiam pulcherrimam eſſe, cùm te fatente rara, ſingularis, admirabilis pulchritudo ſit, quæ priſcæ Eccleſiæ, vt tuo verbo vtar, *inimitabilis* fuit. Sanè quamuis Chriſtum *Monarchiam Eccleſiæ ſuæ peſſimam iudicaſſe* dicas, tamen ſi dum Elizabetha regnabat, tu fugiſſes apoſtata in Angliam, illam feminam gubernatricem, Papiſſam, & Monarchiſſam Eccleſiaſticam venerabundus agnouiſſes, pulchrum corpus Eccleſiæ ſub tam pulchro capite laudaſſes; præſertim lucidos & claros oculos illius capitis, Epiſcopos, quorum illa tibi fuiſ-

Lib. 1. c. 12. n. 2

ſet

ſet Epiſcopa, Paſtorumque Paſtrix,

Formoſi pecoris cuſtos formoſior ipſa.

Audi, Antoni, ne neges quod luce clarius eſt, quod in te Proteſtantes vident & rident. adularis. Has voces tibi non cordis abundantia, ſed ventris inanitas expreſſit: non eas te Spiritus ſanctus edocuit, ſed doctus ille paraſitorũ magiſter, qui pſittaco ſuum χαῖρε expediuit. Anglicanam Eccleſiam totam lucidam laudas, quâ mente vulpes (vt eſt in fabulâ) coruũm roſtro prædam ferentem totum candidum dixit, quò prouocaret ad cantum, cantantique cibus excideret, quo falſus famelicuſque laudator paſceretur. Si cæcus non eſſes, Chriſti verba in te vera agnoſceres, *Qui ſe exaltat, humiliabitur. Qui vult inter vos primus eſſe, fiet omnium nouiſſimus.* Nam qui Summo Pontifici par eſſe voluiſti, dignitate ſpoliatus eò decidiſti miſeriæ, vt Miniſtrorum nouiſſimorum, qui nouiſſimè venerunt in mundum, nouiſſimus, id eſt adulator ſis, qui te ſtipem tam demiſsè rogitantem, deque ipſis palàm falſa iactantem contemnunt. Nam quamuis tu noſtram Eccleſiam tenebroſam totam, id eſt, vt alibi explicas, carneam & mundanam fingas; Anglicanam verò totam pulchram, lucidam, ſpiritualem, cæleſtem; tamen non ita demens illa eſt, vt apud ſe & ſuos Epiſcopos

car-

carnem & mundum eſſe neget: nec, opinor, tuo acceſſu aut minus carnis aut plus ſpiritus ſ. habere credit.

Detegitur M. Antonij odium & inuidia in Summum Pontificem.

NVLLA tetrior animæ peſtis inuidiâ eſt. [a] *Radix hæc malorum omnium, fons cladium, ſeminarium delictorum,* [b] *interitus vitæ, peſtis naturæ, aduerſa omnibus bonis ex Deo venientibus, ipſi Deo contraria, ſerpentis præceptum, diaboli inuentum, inimici ſatio, punitionis arrhabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam,* [c] *mortis mater, prima peccati ianua, vitiorum radix, inobedientiæ cauſa, ignominiæ principium, mortifer ſtimulus, mucro reconditus, bilis venenoſa, tabes ſponte adhibita, telum amarum, figens animam clauus, flamma cordis, inteſtinorum ignis: quam qui habet, non ſuis malis, ſed alienis bonis infelix eſt; miluis ſimilis, quos cadaueribus paſci, pretioſo vnguento emori aiunt:* denique apoſtaſiæ auctrix, dicente Spiritu ſancto, *Vbi zelus & contentio, ibi inconſtantia*. Hoc morbo laboras, Antoni. flagras in Pontificem odio, contabeſcis inuidiâ: cui dum nocere cupis, teipſum perdidiſti, tuoque exemplo oſtendis, quàm ſit verum illud Sapientiæ verbum, *Vir qui feſtinat*

[a] Cyprian. Serm. de zelo & liuore.

[b] Baſil. Homil. 11.

[c] Nyſſen. in Vitâ Moyſis.

Iac. 3, 16.

Prou. 28, 22.

ſtinat ditari, & aliis inuidet, ignorat quòd egeſtas ſuperueniet ei. Fingis tu quidem alia omnia, nec inuidiâ ſed charitate ardere videri vis, dum ita Epiſcopos alloqueris Præfat. num. 6. *Si vultis mecum mulierem hanc fortem inuenire, deponite mecum, obſecro, affectum omnem, guſtúmque terrenorum. Simus omnes tabulæ cedrinæ, odoratæ ac incorruptibiles; nec res vlla nos terrena, non fulgor purpuræ, non pondus auri, non mundi vanitas, non odium, non cupiditas, non amor turbet, excitet, aut tranſuerſos agat*. Hæc tu. nimirum hæc morbi tui natura, hoc inuidiæ ingenium eſt, tegi ſe cupit. *Inuidus*, inquit Baſilius, *rogatus vt morbum ſuum manifeſtet, ſe accuſare omnino veretur, morbum in imo cordis receſſu rodentem & conſumentem viſcera retinet*. Sed quem tu abſcondis, nos aperiemus. Homil. 11.

In primis quanti æſtimes Summum Pontificatum, & quantâ illius, ſi verum fateri vis, & cupiditate & admiratione tenearis, declaras lib. 1. c. 11. n. 32. vbi eum diuinæ gratiæ, hoc eſt ipſi Deo præfers. Nam prolato aduerſus Petri Primatum hoc dicto Ambroſij, *Non debebat Filius Dei* (didrachmam) *non debebat & Petrus in adoptionem à Patre adſcitus*, ita diſputas: *Non tenebatur ſoluere tributum Petrus, quia erat filius Dei adoptiuus, & non quia erat Vicarius Chriſti, ipſius locum teniens,*

nens, capútque totius Eccleſiæ deſignatus. Cur Ambroſius quod longè maius eſt, tacet, & quod minus eſt, commemorat? quia illud maius non nouerat. Hæc tu: vbi clariſſimè oſtendis, te dignitatem Vicarij, Capitis, & Monarchæ Eccleſiæ loco Chriſti, longè præferre diuinæ gratiæ & *adoptioni. Maior*, inquis, *eſt, & longè maior Eccleſiæ totius Monarcha, locum tenens Chriſti, quàm filius Deì adoptiuus.* Non ita di-
1.Epiſt.3,1 lectus Chriſti Apoſtolus, qui exclamat: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & ſimus.* Nec minùs magnificè Paulus eamdem dignitatem exagge-
Rom. 8, 6. rat: *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd filij Dei ſumus. Si autem filij, & heredes; heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti.* Quid tu? gloriæ tantæ, quâ maior mortali ne affingi quidem poteſt, dignitatem Summi Pontificis & Eccleſię Monarchæ opponis & præponis, periculis plenam, peccatis expoſitam, damnationi obnoxiam, caducam, vnà cum vitâ euaneſcentem, quę, quanta quanta eſt, tota pro filiis adoptiuis inſtituta eſt, vt illis, quò faciliùs *hereditatem ſuam immarceſcibilem* conſequantur, ſeruiat.

Hanc malè ſanam cupiditatem Summi Pontificatus, ſeu potentiæ & libertatis quæ in eo continetur, non minùs apertè inſinuas lib.4. c.12. n. 18. diſputans contra Caietani ſen-

ſententiam, quæ eſt, ad Romanum Pontificem pertinere, electores Summi Pontificis, & modum eligendi præſcribere. *Sanè*, inquis, *ſtulti ſunt Papæ, qui doctrinam Caietanicam ſequentes, non faciunt Papatum ius patronatus ſuæ tantùm domus, & ſuæ familiæ, & ſuorum conſanguineorum; ſiquidem domini ſunt (Caietano iudice) vt poßint poteſtatem electiuam auferre & dare quibus volunt. Poterit igitur Pontifex matri nepotis ſui vel ipſi nepoti poteſtatem eligendi ſucceſſoris ſui concedere, & huiuſmodi nepos per ſubordinatum Procuratorem poterit curare ſe eligendum, & ita ſucceſſiuè alij nepotuli in infinitum.* Hæc tu; in quibus non aliud quàm terram ſapis; quamquam te iactes *cedrum odoratam, qui nullum terrenorum guſtum habeas*. Pontificem ſtultum vocas. Quo merito? quia cùm ius conſtituendi electores ad ipſum pertineat, tales non conſtituat à quibus eius nepotuli in infinitum Summi Pontifices eligantur: hoc eſt, quia bonum Eccleſiæ Chriſti, ſplendori ſuæ familiæ præfert; quia cupiditates humanas diuinis legibus ſubiicit; quia poteſtate, quam habet à Chriſto ſupremam & ampliſſimam, non abutitur; denique quia *rationem villicationis ſuæ ſe Deo redditurum* credit, cuius metu continetur, vt non audeat agere quidquid libido ſuadet. Hoc quia ſentit,

tit, tibi ſtultus eſt; hæc eius moderatio, ſtultitia eſt; cùm tamen Spiritus ſanctus dicat,
Iob 28, 28. *Timere Deum, hæc eſt ſapientia; & recedere à malo, intelligentia.* Sed alius tu mentis es, nec aliter eſſe potes. Nam qui Summum Pontificatum diuinâ adoptione quid longè maius exiſtimas, atque adeò qui Pontificatus comparandi causâ *maxima & pretioſa illa do-*
2. Pet. 1, 4. *na, per quæ efficimur diuinæ conſortes naturæ,* non grauatè effunderes; qui non aliud in tantâ dignitate, quàm ſummam poteſtatem quidlibet pro libidine audendi amas; cui familiæ tuæ quàm Chriſti ſponſæ, Sanguine eius pretioſo redemptæ, ſplendor longe antiquior eſt; cui flagitiorum in hac vitâ impunitas, ſumma felicitas eſt; tibi, inquam, qui ita ſapis, quid mirum ſi poteſtate ampliſſimâ per fas & nefas abuti, ſumma ſapientia videatur?

Sed quoniam Papatus, qui tibi ſuper omnia diuina dulcis eſt, guſtum iam nullum ſperas, deſipiunt tibi quæ ſpectant ad Papatum omnia: ferre non potes Eccleſiam in quâ Papatus eſt, ab eâ fugis, doloreque amens etiam

Lucem horres, tædet cæli conuexa tueri.

Hoc delireamantium eſt, vbi potiundi quod amant ſpe exciderunt. De Aërio lib. 2. c. 3. n. 17. ita ſcribis, & in eo teipſum pulchre deſcribis:

ſcribis. *Aërius cùm eſſet ambitioſus Presbyter, nec poſſet aſcendere ad Epiſcopatum, vt ſe conſolaretur, confinxit, & primus excogitauit, Presbyterum nihil eſſe Epiſcopo inferiorem.* Hic tuus morbus eſt, Antoni: non ouum ouo ſimilius, quàm tu Aërio; vt mirum ſit, tibi in Aërium velut in ambitioſum Clericum inuehenti, non veniſſe in mentem illud Poëtę,

Væ tibi, væ nigræ, dicebat cacabus olla.

Papatum votis omnibus expetis, nihil illâ dignitate felicius putas, illi olim certâ ſpe inhiaueras; nam,

Prona venit cupidis in ſua vota fides.

Factus Pontifex, ſtatueras prædeceſſoribus tuis, nimirum *filius huius ſæculi, filiis lucis ſapientior eſſe:* cogitaueras Papatum *familiæ tuæ* alligare, Eccleſiæque Monarchas relinquere *nepotulos tuos* in infinitum. Hoc quia iam fieri poſſe deſperas, vt teipſum, cum Aërio conſoleris, cum ipſo nouam hæreſim cudis: & vt ille Epiſcopatum, quem deſiderauerat, dolore repulſæ depreſſit, Presbyteratui æquando; ſic tu Papatum cupis extinguere, Pontificemque nihil eſſe ceteris Epiſcopis ſuperiorem contendis, ad deprimendam laniandamque, & (vt vno verbo vtar) *in puluerem redigēdam* Pontificiam Monarchiam, cæco dolore te confers.

Octo exempla odij in Pontificem.

IRRVIS in Catholicos vniuerſos, quos odioſiſſimis criminationibus, præſertim Summos Pontifices, impetis, vt te mentiri inuidiaque excæcari, luce clarius ſit. Octo afferam exempla, quæ probent te genuinam Lutheri ſobolem eſſe, & benedictionem, quam morti proximus ille apoſtata ſuis poſteris imprecatus eſt, ad te copiosè peruenisſe, *Impleat vos Dominus odio Papæ.*

PRIMVM EXEMPLVM.

Papatum vbique contumeliis conſcindis, quas longum eſſet repetere. Tria verò dicis, quæ nemo non videat, non intelligentiæ, ſed inuidentiæ pronuntiata eſſe. Nam primò dicis, omnia prorſus Eccleſiæ Chriſtianæ mala ex Papatu tamquā ex fonte nata, lib. 3. cap. 11. n. 30. *Quòd Imperij Romani perfectè Chriſtiani dignitas tota periit, & cum illâ vires omnes tot Regnorum factis diſſenſionibus, imò diſſectionibus, & tot Regulis erectis, & conſequenter infidelitate euectâ euanuerunt, Eccleſiaq́ nobiliſſimæ factæ ſunt captiuæ, & ſub iugo dant gemitus, altáque ducunt ſuſpiria, operâ & induſtriâ noſtrorum Pontificum, quibus* SOLIS *tot ruinæ acceptæ ſunt ferendæ.* & iterùm ibidem: *Imperij Chriſtiani abolitio, Turcarum tyranni*

tyranni ad ipſum Imperium euectio, Anglicanæ, Gallicanâ magna ex parte, & Germanicæ & Polonicæ reliquarúmque Septemtrionalium Eccleſiarũ à Romanâ dimembratio, ſunt fructus egregij noſtræ Papaticæ Monarchiæ. O Monarchiam orbi Chriſtiano infauſtam & infeſtam! ô ſeruitutem & cæcitatem Principum Chriſtianorum omnibus lacrymis deplorandam! Hæc tu. Sanè miror, cur non etiam dixeris, peccatum primi parentis, & ex eo conſecutas miſerias, *Papaticæ Monarchiæ* fructum eſſe. Hoc enim ſi dixiſſes, minùs in apertam veritatem peccaſſes, quàm cùm dicis Turcarum Imperium *ſolis Romanis Pontificibus acceptum ferendum eſſe*. Nam cladem generis humani Papatus vt non intulit, ita nec ei reſtitit, cùm nondum eſſet: at ſurgenti Turcarum Imperio Romani Pontifices obſtiterunt, & collatis Chriſtianorum Principum viribus, toties illud euertere conati ſunt. Quòd ſi Græci, quia paternum Romani Pontificis imperium, Chriſtianæq́ue pietatis plenum agnoſcere noluerunt, in peccati pœnam Turcarum tyrannidi à Deo traditi ſunt; eorũ profectò captiuitas non magis Romanæ Monarchiæ fructus dici debet, quàm Iudaicæ gentis excidium, fructus aduentus & prædicationis Chriſti. Quis ſaxo imputet, ſi vitra ad ipſum illiſa frangantur, non

ipſorum furori, qui ſponte, moniti præſertim de ipſius duritie, in illud vitra abiiciunt? Quis cælum incuſet, ſi lapides in ipſum coniecti recidiui conterant iaculantem? In hoc inſanorum numero ipſe es, non tamen quòd pereas, Petræ, quam impugnas, inuicta conſtantia, ſed tua ſtulta animoſitas in culpa eſt, qui non vis intelligere dictum Leonis tot ſæ-

Epiſt. 88. culorum experientiâ probatum: *Quiſquis Petro denegat principatum, illius non poteſt imminuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſeipſum ad inferna demergit.*

SECVNDVM EXEMPLVM.

Dicis, ſectas ſub Chriſtiano nomine vniuerſas, præſertim Septemtrionales, non niſi Monarchiæ odio & metu Romanam communionem abiicere, in reliquis controuerſiis non ita vehementes eſſe: quare extincto Papatu, *non dubito*, inquis lib 4. cap. 8. n. 75. *quin vniuerſum Chriſtianitatis corpus pacis fraternæq́; conſociationis vinculo ſit cohæſurum.* Et paulò pòſt: *Depreſſâ hac petrâ ſcandali, & ad normæ Canonicæ iuſtitiam complanatâ, haberemus Eccleſiæ atrium æquabile, leuigatum, & pulcherrimis Sanctuarij gemmis ſplendidiſſimum, omnéſque mutuam complecteremur vnitatem in neceſſariis, in non neceſſariis libertatem, in omnibus charitatem. Ita ſentio, ita opto,*

 426

opto, ita ſpero in eo, qui eſt ſpes noſtra, & non confundemur. Hæc tu; quæ cerebri tui, imò ne cerebri quidem (quid enim cerebri huic dicto ineſt?) ſed ſtomachi tui in Pontificem deliramenta ſunt. A te enim duo peto. In primis, quî nos certos potes reddere, Romanâ Monarchiâ depreſsâ, omnes prorſus hæreſes ceſſaturas? *Non dubito*, inquis, *ita ſentio, ita opto, ita ſpero*. Sed te, qui ita ſentis & ſperas, delirare tuo dicto conuincam. Nam lib. 1. c. 3. n. 24. ſcribis, olim hæreſes *ante ſtabilitam Romanam Monarchiam vndique pullulaſſe, Romanúmque Pontificem, quò faciliùs eas Sedis ſuæ auctoritate opprimeret, Sedem ſuam pio zelo exaltaſſe*. Ita tu. nunc audi. Si necdum euectâ ad Monarchiam Romanâ Sede, hæreſes erant; quî tibi conſtat, ſublato Papatu, hæreſes, quæ modò Chriſtianum nomen dilacerant, depoſitâ pertinaciâ, in vnum Chriſtianum corpus coalituras? Si, quò hæreſes olim opprimerentur, Sedem Romanam exaltare pium & Eccleſiæ ſalutare fuit; nónne dementia eſt, quòd tu ita aſſerueranter aſſeris, *Romanâ Sede depreſsâ, omnes ſectas amplexuras vnitatem?* *Ita ſentio*, inquis. Sanè tu ita ſentis, quia Romani Primatûs magnum odium ſentis, cui dum ſatisfacere conaris, quæ dicis, quàm ſint vel falſa vel delira, nihil ſentis. Vnde à te

ſecundum poſtuló. Quî noſti, ſectas Europæas, quæ Reformatæ audiunt, ita affectas eſſe, vt ſublato Papatu, reliquos Romanos errores, quos putant continere teterrimam idololatriam, æquo animo laturi ſint? Sanè quamuis ſint fortaſſis nonnulli ita impij, vt tuæ mentis ſint; vix tamen vllum opinor inuenies ita mente deſtitutum, vt hanc ſuam fidei ἀδιαφορίαν tecum vulgaturus ſit. Lutherus horum Princeps, Primatum inter ea numerat, in quibus *Papæ leuitas facilè tolerari poſſet*, niſi aliis erroribus Eccleſiam opprimeret: imò ſine Monarchiâ ſeu regimine vnius Eccleſiam in toto mundo vnam eſſe non poſſe, aſſerit. *Cùm Deus*, inquit, *vnam habere voluerit Eccleſiam Catholicam per totum orbem, neceſſe fuit vnum aliquem populum eligi, imò vnum aliquem Patrem iſtius vnius populi eligi, ad quem & ſuos poſteros ſpectaret totus orbis, & fieret vnum ouile: & ita ex omnibus gentibus in infinitum variatis moribus, tamen vna fieret Eccleſia.* Conſentit Iacobus Andreas & Philippus Melanchthon, vterque te doctior, magni inter Proteſtantes nominis, maioríſque quàm tu vmquam futurus ſis. Primus, teſte Hoſpiniano, *multis conatus eſt demonſtrare, Eccleſiarum tranquillum ſtatum tueri difficile eſſe, niſi ad aliquem tamquam ad ſummum adminiſtratorem & Pontificem rerum*

Loci communes Lutheri per Theodoſiū Fabricium, Claſſe 1. c. 37. p. 107

Hiſtor. Sacram. parte alterâ, fol. 389.

ſumma

ſumma deferatur. Philippus multò apertiùs, *Quemadmodum*, inquit, *ſunt aliqui Epiſcopi, qui præſunt pluribus Eccleſiis; ita Romanus Pontifex omnibus aliis Epiſcopis præeſt. Quam canonicam hierarchiam nemo prudens opinor reprehendit, certè reprehendere nemo debet. Monarchia enim Romani Pontificis meâ quidem ſententiâ proficua Eccleſiæ eſt, vt vnitas fidei & doctrinæ retineatur. Quare quod attinet ad quæſtionem de Romani Pontificis Monarchiâ, facilè pax componi poſſet, ſi de reliquis articulis vnam ſententiam haberemus.* Hæc iſti Proteſtantes, quibus demonſtrant, quàm ſint vanæ cogitationes tuæ, & fatuæ ſpes de pace & vnitate totius Chriſtianitatis, quæ depreſſam Romani Pontificis Monarchiam conſequeretur. Demonſtrant etiam, quàm multum oris & parum cordis tibi inſit, qui cùm nullos in Romanâ Eccleſiâ errores arguas, in Monarchicum Primatum, velut in pacis vniuerſalis ſolam remoram, loco citato ita debaccharis: *O cæcitatem populi! ô ſeruitutem Cleri! ô morbum Chriſtianitatis grauem, epidemicum, veréque capitalem! qui longè latiùs quàm infelix olim Arianiſmus graſſatus eſt, Chriſtíque Eccleſiam peſtiferâ contagione infecit, & miſerandâ dilaceratione debilitauit.* Hæc tu: quorum ſi probationem requiramus, non aliam adferre poteris, quàm

Centur. Epiſtol. Theolog. Epiſt. 74.

tuam illam vſitatam: *Itá ſentio* M. Antonius. ſcilicet tu dignus, quicum in tenebris quis micet.

Tertivm exemplvm.

Tertiò dicis, ſublato Papatu nullum ampliùs ſchiſmatum in Eccleſiâ periculum fore. Quod per ſe conſtat, non veritatis, ſed inuidiæ dictum eſſe. Libro 4.c.7.n.7. *Pariſienſes ſi Papatum penitus extinxiſſent, aut nullum eſſe declaraſſent, vt reuerà nullus eſt, Romanúmque Pontificem in ſolo Patriarchali gradu, reliquiſſent, ſic penitus omnes ſchiſmatum occaſiones amputaſſent, nec vllum ampliùs periculum ſchiſmatum ſuperfuiſſet.* Hæc tu: qui eodem prorſus animo in Chriſti Vicarium es, quo Iudæi fuerunt in Chriſtum, quibus *grauis erat etiam ad videndum.* Papatu florente, nigreſcunt tibi omnia: Papatu ſublato, pacem æternam & aurea ſæcula diuinas. Sed deliras inuidiâ: quod ex tuis dictis probare facillimum eſt. Nam lib.1.c.10.n.28.dicis, poſt annum Chriſti milleſimum *his poſtremis ſexcentis annis* exſtitiſſe quidem nonnullos, qui *Papatum agnouerunt & defenderunt*; ſed mille ſupereſſe annos, quibus *hæc magna Petri Monarchia* ad ſucceſſorem deuoluta *cuiquam ex Catholicis Doctoribus* (Romanis Pontificibus ſemper exceptis) *ne quidem ve-*

nerit in mentem. Iam ſubſumo: Sed his ſexcentis poſtremis annis pauciora ſchiſmata fuerunt, quàm ſexcentis annis prioribus, qui annum milleſimum proximè præceſſerunt. Hoc patet ex catalogo ſchiſmatum Romanorum, quem tu lib. 4. c. 11. n. 50. ponis: enumeras enim ſchiſmata omnino triginta: ex his facta poſt annum milleſimum non niſi duodecim; his autem poſtremis trecentis annis, quibus dicis Papatum maximè viguiſſe, ne quidem vnum. At verò ab anno Domini quadringenteſimo ad annum milleſimum, quod tempus non niſi ſexcẽtos annos continet, numeras ſchiſmata ſexdecim. Igitur cùm eo tempore, quo Papatus ne quidem venerat (ſi tibi credimus) vlli Catholico Doctori in mentem, non modò ſchiſmata erant, ſed etiam frequentiora erant quàm poſt agnitum Papatum; nónne deliras, qui dicis extincto Papatu non modò ſchiſmata non futura, ſed neque vllum ſchiſmatis periculum ſupereſſe?

QVARTVM EXEMPLVM.

Quanto odio Romanum Pontificem exeecreris, tuæ aduerſus Romanos Pontifices antiquiſſimos inuectiuæ oſtendunt. Vnum profero exemplum de Cæleſtino I. in quem calamum ſtringendi talem occaſionem captas,

quæ liquidò commonſtret, te odio Pontificum excæcari. Lib.4.c.10.n.26. *De Cæleſtini*, inquis, *vſurpatione nobis conquerendū. aditum aperit Socrates*. Socrates? Antoni, vide quem ducem itineris habeas. Nouatianus eſt. *Eſto*, inquis lib. 2. c. 10. n.26. *quid tum poſteà?* Si nihil hoc te mouet, perge. quid Socrates Nouatianus de Cæleſtino conqueratur, audiamus. *Nouatianis*, inquit, *qui Romæ erant, Cæleſtinus eccleſias abſtulit, & Ruſticulam illorum Epiſcopum clàm in ædibus conuentus agere coëgit. Nam ad illud tempus Nouatiani Romæ admodum floruerant, plurimáſque ibi habuerant eccleſias, & ingentem populi multitudinem coëgerant. Verùm grauis tum iracundiæ flamma contra eos incenſa, cùm Epiſcopatus Romanus non aliter atque Alexandrinus, quaſi extra Sacerdotij fines egreſſus, ad ſæcularem Principatum erat iam antè delapſus.* Hæc Socratis Nouatiani querimonia eſt. Iam Cæleſtini, quæ deplorat, crimina numeremus. *Nouatianis Romæ eccleſias abſtulit*. magnum ſcelus! *Ruſticulam Epiſcopum Nouatianorum clàm conuentus agere coëgit*. ingens flagitium! Fecit, vt Nouatiani, qui *priùs admodum Romæ floruerant*, deflorefcerent. rem lacrymis dignam! *Ingentem eorum multitudinem* ad paucitatem redegit. quis Catholicus non doleat? Denique Nouatianos, qui priùs plurimas

Socrat. li. 7. cap. 11.

mas eccleſias habuerant, Catholicis Romanis reddidit inuiſos. quis pius hæc Socrate narrante non fleat? Deus bone, Antoni! adeóne te mentis inopem eſſe, vt hæc in Cæleſtino reprehendenda cenſeas? vt Nouatianum Hiſtoricum de Romani Pontificis, quia Nouatianos Româ expulit, nimiâ potentiâ conquerentem tibi ſequendum putes? *Fructus*, inquis, *hic peſſimus fuit opum à Conſtantino conceſſarum, à Socrate tunc temporis annotatus: ſi poſteriora præuidiſſet ſæcula, de Româ degeneri longè grauiùs fuiſſet conqueſturus.* Ita tu! Nimirum ſimiles bubonibus eſtis hæretici, quorum vno noctu ferale carmen in ſiluis perſonante, reliqui qui exaudiunt, ſtatim in queſtus vnà ſoluuntur. Collige te, Antoni; vide ne tuum in ſanctos Pontifices odium tibi lucem eripuerit. An neſcis, Nouatianos hæreticos eſſe? Certè Cyprianus, quem Magiſtrum tuum vocas, hæreticos omnium perditiſſimos cenſet. cur igitur illis eccleſias eripi, eorum ſacra intra priuatos parietes cohiberi, ſectam defloreſcere & ad paucitatem redigi, ægrè fers? cur hunc *fructum opum à Conſtantino conceſſarum peſſimum* vocas? Si hæreticorum templa deſtruere, audaciam reprimere, gloriam & nomen extinguere, *vſus* opum terrenarum *peſſimus* ſit, quis tandem optimus erit? Sed quoniam de

de Cæleſtino, eò quòd opibus à Conſtantino conceſſis hæreſes extinxerit, tibi conquerendum eſſe dicis, audi S. Proſperum, qui tuis aditum queſtibus aperit multò quàm Socrates ampliorem. *Venerabilis memoriæ*, inquit, *Pontifex Cæleſtinus, cui ad Catholicæ Eccleſiæ præſidium multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt, ſciens damnatis non examen iuſtitiæ, ſed pænitentiæ remedium eſſe præſtandum, Cæleſtium* (Pelagianum) *quaſi non diſcuſſo negotio audientiam poſtulantem, totius Italiæ finibus iuſſit extrudi. Nec ſegniore curâ ab hoc eodem morbo* (hæreſi Pelagianâ) *Britannias liberauit, quando quoſdam inimicos gratiæ ſolum ſuæ originis occupantes, etiam ab illo ſecreto excluſit oceani, & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam Inſulam ſtudet ſeruare, Catholicam fecit etiam barbaram Chriſtianam. Per hunc virum etiam Orientales Eccleſiæ geminâ peſte purgatæ ſunt, quando Cyrillo Alexandrinæ ſedis Antiſtiti ad exſecandam Neſtorianam impietatem Apoſtolico auxiliatus eſt gladio, quo etiam Pelagiani, dum cognatis confœderantur erroribus, iterùm proſternerentur.* Hæc Proſper, & alia plura de S. Cæleſtino. Tu nunc, Antoni, quem conquerendi de Cæleſtino libido ſtimulat, queſtibus habenas laxa: tantam Romani Pontificis potentiam, quâ hæreſes vbique terrarum exſtinguat (quoniam eam

Proſper cōtra Collatorem.

410
eam diuinam inſtitutionem non vis agnoſcere) *fructum opum à Conſtantino conceſſarum peſſimum eſſe*, voce quâ potes maximâ proclama. Ita mundo palàm facies, quòd dum Romanum Pontificem inſectaris, vnà cum fide mentem amiſeris, alliſoque ad Eccleſiæ petram capite, tibi cerebrum omne excuſſeris.

QVINTVM EXEMPLVM.

Odium hoc in Pontificem facit, vt ne futuris quidem Pontificibus parcas: de quibus lib. 1. c. 11. n. 23. *Petri ſucceſſores, tales epiſtolas & libros, qui ipſorum errata & rationabiles reprehenſiones continent, iam ferre nolunt, proſcribunt eos, & diris deuouent, antequam edantur, vt nunc primùm huic meo contigit Operi. Expectandum profectò, vt ſi planè Papæ noſtri viderint Euangelio Canonico Papatum deſtrui, Euangelium ipſum in prohibitorum librorum Indicem detrudant.* Hæc tu, nullâ cum animi perturbatione (ita enim iuras:) tamen etiam atque etiam caue ne morbo eodem labores, quo Lucifer, cùm *cælo pulſus deſcendit in terram, habēs iram magnam, diabolus, id eſt, calumniator factus*. Sed de malitiâ tu videris, ſtultitia certè manifeſta eſt. Ita enim vbique tuis dictis implicaris, vt etiam hîc mentiri tuo teſtimonio conuincaris.

Nam

Nam lib. 4. c. 10. n. 96. dicis, Romanos Pontifices, & antiquiores & modernos, Papatum tueri contra propriam ſcientiam & conſcientiam; quod probare conaris exemplis Pij II. & Silueſtri II. qui cùm Epiſcopi Papatum impugnaſſent, Pontifices creati Papatum plenè exercuerunt. Iam ſi Pontifices probè norunt Papatum nullum eſſe, nec à Chriſto inſtitutum ſed prohibitum, certè Canonico Chriſti Euangelio illum deſtrui ſciunt, & iam diu ſciuerint; nec tamen vllus Canonicum Chriſti Euangelium in librorum prohibitorum Indicem detruſit. Igitur hîc etiam, dum diuinas, deliras, ex odio quidem Pontificis, ſed etiam ex ſtultâ philautiâ. nam te poſt Chriſtum, omnium ſæculorum optimum Auctorem putas: tuum librum poſt Euangelia proximo loco ponis. Tuum verò librum, teque illius auctorem, Pontifex vt hæreticum proſcripſit, in Indicem damnatum retulit. Audax & immane facinus! ſcelus cui priora ſæcula numquam par viderunt! An non, Antoni? *Prorſus*, inquis, *expectandum iam eſt, vt canonicum Chriſti Euangelium in Indicem prohibitum referatur*, ſi viderint Romani Pontifices illud ſuo Papatui aduerſari. Quaſi dixiſſes, Me meoque libro proſcripto, cui par poſt Euangelium nullus prodiit, nihil in hoc genere ſceleris

leris ſupereſt, quàm vt Chriſtus eiuſque Euangelium proſcribatur. hoc igitur iam exſpectandum eſt. Ita tibi ipſi ſapis, ceteris omnibus, etiam Proteſtantibus, deſipis.

SEXTVM EXEMPLVM.

Ex odio Romani Pontificis, in populum totum Catholicum, qui illi paret, prorſus inſanis. Lib. 4. c. 7. n. 41. *Vbi*, inquis, *audimus de vno quodam homine, illum eſſe ſolum ac proprium Chriſti Vicarium, diuinâ quadam omnipotentiâ inſtructum, cùm in Deum verum non feramur tam facilè à ſenſibus remotum, hunc nobis hominem viſibilem & palpabilem, nobiſque in terris præſentem, Deum eſſe facilè nobis perſuademus. Et hæc eſt in vulgo iam paßim formata idololatria, cui idiotæ, qui ſunt innumerabiles, iam plenè aſſenſerunt, qui reuerà Papam pro altero Deo tenent & colunt; internè populi ab eo diſsiti longiùs, externè verò etiam qui Romæ adſunt*. Hæc tu tot & falſa & inter ſe pugnantia in vnum conglobans, vt clarum ſit te perturbatâ mente, & præ dolore Pontificiæ felicitatis, à ſenſibus pænè dimota ſcribere. Nimirum,

Iuſtius inuidiâ nihil eſt, quæ protinus ipſum
Auctorem rodit diſcruciátque ſuum.

In primis, quî cohærent iſta quæ dicis, populos Chriſtianos internè credere, Pontifi-

cem

cem eſſe *verum Deum*, & ſimul Chriſti proprium Vicarium? Nam Vicarius is eſt, qui poteſtatem habet, ab illius cuius Vicarius eſt voluntate & nutu dependentem, quam pro libitu is auferre & diminuere poteſt, vt tu contendis lib. 2. c. 3. vbi rem indignam putas, vt Epiſcopi Romani Pontificis Vicarij dicantur? Et Epiſcopos alloquens n. 42. *Si non piget vos*, inquis, *at ſaltem pudeat, quòd ex fratribus & collegis Romani Pontificis facti eſtis ipſius meri Vicarij, vt non proprio ſed ipſius nomine Eccleſias regatis*. Hæc tu: qui verè dicis, Epiſcopos non eſſe meros Papæ Vicarios; ſed falſum ſupponis, eos tales à Catholicis fieri. Hinc colligo, Vicarium parem eſſe non poſſe perſonæ cuius Vicarius eſt, atque adeò Catholicos, qui ſummum Pontificem proprium Chriſti Vicarium credunt, eum non credere verum Deum eſſe, ſed te de Catholicis Romano Pontifici ſubditis, quos odiſti, crimina non cohærentia dicere. Secundò colligo, blaſphemum eſſe quod lib. 1. cap. 3. n. 2. dicis, *Spiritum ſanctum verum & proprium Chriſti Vicarium eſſe*, in quo dicto tibi conſentiens non es. Nam ſi Vicarius par ſit illi cui Vicarius eſt, neque neceſſe ſit vt ab eo pendeat; cur indignum putas Epiſcopo, vt Romani Pontificis verus & proprius Vicarius dicatur: ſin autem proprius Vicarius

carius à voluntate principalis, cuius vices gerit, neceſſariò pendeat; certè blaſphemus es, qui Spiritu ſancto, qui verus Deus eſt, dignum exiſtimas, vt verus & proprius veri Dei Vicarius audiat.

Secundò, quid eſſe poteſt falſius, quàm populos Catholicos credere Pontificem diuinâ quadam omnipotentiâ inſtructum eſſe? Nam ſi credimus, reuerà diuinam omnipotentiam habere; certè credimus, eum poſſe pro libitu miracula facere, Sacramenta inſtituere, mortuos ſuſcitare, quos velit ſine vllis Sacramentis ſaluare, quod libuerit ex nihilo facere, quos odit in nihilum verbo redigere. Quis autem hæc Pontificem poſſe credit? Secundò, Quid falſius, quàm quod dicis, populos Chriſtianos, qui Chriſti verâ fide imbuti ſunt, pronos eſſe, vt duos veros Deos, Chriſtum & Romanum Pontificem, credant & colant? quod aduerſus gratiam nouæ Legis lucemque quam Chriſtus mundo intulit, impiè dictum eſt. Denique, quid falſius, quàm facile eſſe vt hominem, quem videmus viſibilem eſſe & palpabilem, verum Deum credamus? Nam ſi homo mortalis & miſeriis obnoxius facilè Deus creditur, cur Iudæis tam difficile fuit vt Chriſtum, quem videbant mortalem, verum Deum crederent? Cur myſterio Incarnationis tan-

tum difficultatis inſit, vt omnium articulorum Fidei propè creditu difficillimus ſit? Imò quiſquis ſapit, ſtatim videt, nihil eſſe magis arduum & naturæ aduerſum, quàm vt Deum verum credas, quem verum hominem noſti; hoc eſt, quem vides naſci, credere æternum; quem vides palpari, credere purum ſpiritum; quem vides loco contineri, credere immenſum; quem vides fragilem, credere omnipotentem; denique quem vides conſeneſcere, credere immortalem. Hæc tu creditu facilia eſſe, & de Romano Pontifice à populis Chriſtianis innumerabilibus per orbem ſparſis reuerà & plenè credi numquã diceres, ſi te permitteret odio perturbatamens tua tranquillè cogitare quid diceres.

Tertiò, Cùm dicis, populos Chriſtianos longè diſſitos Pontificem internè colere vt verum Deum, ex odio in Pontificem, non modò incredibile, ſed etiam inintelligibile fingis. Nam qui ſint actus illi interni, quibus ſuam ſubiectionem ad Pontificem tamquam ad Deum profiteri Catholicos dicis, vix opinor ipſe intelligis. Deum internè colimus, quando fidem, quam habemus de ſupremâ excellentiâ & maieſtate Dei, affectionibus internis ad eum finem aptis, Deo corda noſtra intuenti profitemur. Quis ita Romanum Pontificem colit? quis eum cordium

cogi-

cogitationes, præſertim abſentium, intueri poſſe ait? Quis interna cordis vota Romano Pontifici intuenda offert, præſertim abſenti, tamquam interna ſigna fidei, quam habet de excellentiâ illius? Nemo prorſus. Prætereà, ſi populi longè diſſiti Pontificem non niſi internè vt Deum colunt; quî tu eos id facere noſti? quis conſilia cordium & abſcondita tenebrarum tibi reuelauit? Sanè, cùm dicas hos populos eſſe innumerabiles, longè diſſitos, per orbemque ſparſos, eos tu nec quidem de facie noſti. Quòd ſi facies eorum nec ſemel vidiſti, quî corda eorum adeò explorata habere potes, vt eos eſſe *idololatras formatos, veros, internos, plenos*, tam certò definias? Denique cùm dicas, Epiſcopos in Conciliis generalibus cordè gementes Romano Pontifici tamquam Monarchæ applauſiſſe; quî nunc tibi conſtat, hos quos dicis Pontificem vt Deum cultu externo Romæ colere, non fingere, non aſſentari, ſed *corde credere, & plenè aſſentiri*, quod reuerà Deus ſit, diuiniſque honoribus colendus? Facis, Antoni, pro ingenio hominum illorum, quorum ſocietati te addixiſti, de quibus Hieronymus, *Inter hæreticos*, inquit, *qui ſtrenuè mentitur, & abſque vllâ verecundiâ quidquid in buccam venerit, confingit in fratres, Magiſtrum ſeſe optimum probat.* Apolog. 1. aduerſus Ruffin. c. 4

 SEPTI-

SEPTIMVM EXEMPLVM.

Dicis, Romanum Pontificem furtiuè tentare ſe verum Deum facere, lib. 2. c. 5. n. 42. *De poteſtate Ordinis*, inquis, *non negat Romanus Pontifex, cum à ſolo Deo immediatè haberi. Non enim poteſt neque audet. nam tum plenè & apertè, ſe (ſicut iam clàm, & furtiuè tentat) Deum verum noſtrum faceret.* Ita calumniaris, ſed ſemper tuo more, vt ex tuis dictis mendax facilè arguaris, cùm tibi ipſi contrarius ſis. Dicis, Romanum Pontificem non dicere, ſe poteſtatis Ordinis auctorem eſſe; hoc eſt, non illam ſe dare poſſe pro nutu & auctoritatiuè, ſed tantùm miniſterialiter, applicando Sacramentum, in quo Deus illam immediatè dat. Verum quidem dicis, tamen alio loco pro tuâ leuitate Rmanæ Ecclesiæ contrariam ſententiam tribuis, lib. 2. cap. 4. n. 19. *Mirandum verò*, inquis, *quòd Eccleſia Romana Canoniſtarum quoddam dictum adeò approbet, vt ne mutire quidem contra ipſum quiſquam ex Catholicis audeat: nimirum, Summum Pontificem ſolo verbo poſſe facere & Sacerdotem & Epiſcopum, ſi dicat alicui dumtaxat, Eſto Sacerdos, vel, Eſto Epiſcopus: tunc enim eum pleniſſimè factum Sacerdotem vel Epiſcopum nolunt poſſe dubitari.* Ita tu contrarias ſententias Romano Pontifici & Eccleſiæ affin-

affingis. Sed hoc poſtremum, poteſtatem Ordinis & conſecrationem ſolo verbo Pontificis, ſi dicat, *Eſto Sacerdos*, tribui poſſe, nec contra hoc quemquam ex Catholicis mutire audere, mendacium eſt. Omittam innumeros. vnum audi Catholicum Theologum, Martinum Becanum, qui Tomo 1. Opuſc. pag. 483. ita ſcribit: *Nemo Catholicorum dicit Pontificem habere omnimodam poteſtatem. Non enim pro arbitratu facere poteſt quod vult, ſed certis limitibus ac terminis poteſtas eius à Chriſto circumſcripta eſt. Nam in multis poteſtas eius alligata eſt Sacramentis; in aliis, præceptis Chriſti & Apoſtolorum. Non enim Pontifex ſuo tantùm arbitratu poteſt abſoluere ſubditos à peccatis, Euchariſtiam conficere*, SACERDOTIVM *conferre, ſed adhibitis Sacramentis à Chriſto inſtitutis.* Hæc Becanus; ex cuius verbis tria mendacia tua deteguntur. Primum eſt, Romanæ Eccleſiæ receptam doctrinam eſſe, Pontificem ſolo verbo ſine Sacramento ordinare Sacerdotem poſſe. Secundum, contra hanc doctrinam quemquam ex Catholicis mutire non audere. Tertium, credi & doceri à Catholicis, Romanum Pontificem diuinâ quadam omnipotentiâ inſtructum eſſe. Itaque cùm in rebus adeò apertis ita craſsè vel decipiaris vel mentiaris, certè ſi quis tibi Pontifi-

cem de furtiuâ diuinitatis arrogantiâ accuſanti credat, amens ſit. Nam ſi Pôtifex clàm & furtiuè diuinitatem veram affectet, qui tibi occultæ eius cogitationes innotuerunt? quibus argumentis conuictus tantum ſcelus, quo nullum immanius cogitari poteſt, de Pontifice credis, & aliis credendum proponis? Nullum affers præter pedum oſcula, lib.4.c.7.n.42. quæ tamen non in Pontifice arrogātiæ, ſed in Catholicis pietatis in Chriſtum argumenta ſunt. Nam tua mendacia non moror, qui dicis, Pontificem *hæc oſcula ſibi exhiberi velle, non Chriſto*; nec ea tantùm admittere, ſed etiam cunctos Principes ad ſuos pedes protrudere. His mendaciis omiſſis, cogita quid de Galatis ſcribit Apoſtolus:
Gal.4,14. *Sicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum*. Si Galatæ piè & ſanctè Paulum exceperunt eâ quâ Chriſtum ipſum reuerentiâ excepiſſent; cur idololatræ Chriſtiani, qui Romani Pontificis tamquam Chriſti Ieſu pedibus, cuius eſt Vicarius, aduoluuntur? Si Paulus, qui talem à Galatis reuerentiam admiſit, exhibitamque laudauit, diuinitatis affectatæ meritò accuſari non poteſt, cur Romanus Pontifex hoc nomine, ſceleris inhumaniſſimi inſimuletur? Tu loco citato n. 44. *Presbyterorū*, inquis, *miniſtrorum Chriſti pedibus ex deuotione in piis Chriſti fidelibus*

præ-

præbita ſunt oſcula, quod obſequium in exhibentibus propter Chriſti reuerentiam laudabile eſt & approbandum. Benè eſt. Quod Pontificis pedibus exhiberi piè potuit, fideles piè exhibuerunt, ſic pietas cœpit; frequenter exhibuerunt, ſic conſuetudo vetuſtate firmata eſt; viri ſancti, docti, Principes, exhibuerunt & exhibent, ſic ad piam vetuſtamque conſuetudinem robur auctoritatis acceſſit. Huic conſuetudini parêre qui recuſat, nô propterea hæreticus eſt, ſed profectò ſuperbus eſt, qui ſe putat tot ſæculis meliorem. Neque facilè credit Chriſtiana pietas, tam immanem ſuperbiam, niſi ex deprauatâ per hæreſim mente procedere, quæ vix vmquam ſuſpicio fallit. Ineptè igitur veræ diuinitatis appetitæ Pontificem accuſas propter pedum oſcula; quæ ſicut pietas non arrogantia inuexit, ita religio non ambitio perpetuat. Cedere noſtris in Chriſtum affectibus Chriſti Vicarium oportet, neque hanc reuerentiam tam nos afferre, quàm illum pati neceſſe eſt.

OCTAVVM EXEMPLVM.

Romanum Pontificem accuſas, quòd ſeriò & clarè & apertè ſe Deum faciat. Lib. 2. c. 6. n. 16. & 17. *Eò*, inquis, *Romani Pontifices, vt propriè loquar, veſaniæ deuenerunt, vt Dei ſe Vicarios ſolos faciant cum diuinâ poteſtate*

in terris; & ſibi verè propriam diuinam poteſtatem arrogent manifeſtiſsimè. Innocentius enim III. ſexies ad minimum, quod ego obſeruaui, seriò reſcripſit, publiciſq; ac ſolemnibus literis ſuis in Corpus etiã Iuris Canonici pro vniuerſalis Eccleſiæ lege redactis, apertiſsimè declarauit, ſe Dei locum in terris tenere, & vinculum matrimonij rati iam & conſummati inter Epiſcopum & Eccleſiam ſuam occaſione mutationis ſeu tranſlationis ad aliam ſedem diſſoluere, non vt hominem, ſed vt Deum; quia quos Deus coniunxit, homo ſeparare non poteſt, ſed Deus. Hîc, Antoni, veſaniam exerces, quam Summo Pontifici obijcis: tecum enim ipſe pugnas. Nam paulò antè dicentem te audiuimus, non audere Pontificem poteſtatem ſibi arrogare Ordinem Epiſcopalem auctoritatiuè tribuendi, quæ propriè diuina eſt; quia tum *ſe palàm & apertè Deum faceret: quod tamen,* inquis, *non audet, quamuis clàm & furtiuè hoc tentet.* Nunc verò dicis, Romanum Pontificem audere *ſe Deum palàm facere, & verè propriam Deo poteſtatem ſibi arrogare publicis literis, apertiſsimè, manifeſtiſsimè.* Nónne ita perpetuò in te ipſum pugnare veſania eſt? Deinde Innocentium odio excæcatus dum legis, non intelligis. Non enim diſputat eo modo quem tu fingis. Verba eius ſunt: *Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet. At poteſtatem*

Epiſt. 335. & inſerto De trãſlat. Epiſcopi c. 4.

tem transferendi Pontifices ita ſibi retinuit Dominus & Magiſter, quòd ſoli beato Petro Vicario ſuo, & per ipſum ſucceſſoribus ſuis, ſpeciali priuilegio tribuit & conceſsit; ſicut teſtatur antiquitas, cui decreta Patrum ſanxerunt reuerentiam exhibendam, & euidenter aſſerunt ſacrorum Canonum ſanctiones. Non enim homo, ſed Deus ſeparat, quos Romanus Pontifex, qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, Eccleſiarum neceſsitate vel vtilitate penſatâ, non humanâ, ſed diuinâ potiùs auctoritate diſſoluit. Tria dicit Innocentius, & probat ſingula ſingulis argumentis. Primò, Nullum Epiſcopum præter Romanum poſſe Epiſcopum transferre. Ratio eſt, Quia ſolus Petrus illiuſque ſucceſſor, Chriſti Vicarius eſt ſimpliciter & abſolutè in Eccleſiâ vniuerſali; quamuis alij Epiſcopi in propriis Eccleſiis ſinguli Chriſti Vicarij ſint. Sed Epiſcopos transferre, non eſt opus Vicarij particularis, ſed vniuerſalis. Secundò dicit, Quamuis vinculum inter Epiſcopum & Eccleſiam ſuam diuini Iuris ſit, non repugnare tamen vt Pontifex poteſtatem illud ſoluendi habeat. Ratio eſt, Quia Vicarius Chriſti eſt, qui non eſt merus homo, ſed etiam Deus; & ideò ratione vnionis hypoſtaticæ etiam vt homo poteſtatem habet vinculum hoc diuinum ſoluendi pro bono Eccleſię ſuæ. nec dubium eſt, quin hanc

poteſtatem ſuo Vicario communicare potuerit. Tertiò dicit, Chriſtum hanc diuinam poteſtatem, quam ſuo Vicario dare potuit, dediſſe. Hoc probat, Quia hoc priuilegium Petro illiuſque ſucceſſori conceſſum teſtatur antiquitas. Hæc Innocentij argumẽtatio eſt. Hinc patet, falſum eſſe quod fingis, ita argumentari Innocentium: Vicarius Dei ſum, & ideò poſſum quidquid Deus poteſt. Hoc tuum delirium eſt. ita diſputat: Vicarius Chriſti, qui Deus eſt, ſum, atque adeò Vicarius illius ſum, qui poteſtatem diuinam, quo vinculum diuini Iuris inter Epiſcopum & Eccleſiam ſuam diſſoluatur, Vicario ſuo tribuere potuit. tribuit autem, quia hoc teſtatur antiquitas, & aſſerunt ſanctorum Canonum ſanctiones. Hoc verè & ſapienter ab Innocentio eſt dictum, quem tamen tu pro tuâ modeſtiâ veſanum vocas, & in illius ſucceſſorem ita furis. *Dicat mihi noſter hic Deus ridiculus, ſeu Vice-Deus: ſi nemo præter ipſum poteſt Epiſcopum ab vnâ Eccleſiâ ad aliam transferre, quia omnes alÿ Epiſcopi ſunt puri homines, & quos Deus coniunxit, homo non poteſt ſeparare; ipſe verò ſolus poteſt, non quia homo eſt, ſed quia Vice-Deus eſt, imò Deus. Poterit igitur verum coniugium carnale ſoluere vt Deus, ſeu Vice-Deus, non vt homo: nam quos Deus carnaliter coniunxit, non poteſt homo ſeparare, poteſt*

tamen

tamen Deus. At ſi hoc nos noſtro Papæ concedamus, poſſumus etiam eidem thus adolere, & expeditâ latriâ etiam colere & adorare, quod fortaſſe intendit, & iam myſterium iniquitatis opere ipſo à multis completur. Hæc tu: quibus ignominiam non Pontifici, ſed tibi ipſi creas, apud prudentes certè Lectores, qui non dubitant, dictũm Romani Sapientis eſſe veriſſimum: *Vt quiſque contemptiſſimus & maximo ludibrio eſt, ita ſolutiſſimæ linguæ eſt.* Cuperes Romanum Pontificem tibi ad iſta reſpondere, quibus non alia digna reſponſio eſt, quàm Dionis illud *Gry*, cuius taciturnitate veſanus conuitiator actus in rabiem, reſte ſibi fauces eliſit. Sed quoniam non te viciſſim odit Pontifex, ſed eum tui miſeret; non te odio habemus Catholici, nec te perditũ, ſed ſaluatum cupimus; ſatisfaciam voto tuo, Pontificis loco tibi ad iſta reſpondeam, non tamen *ſecundùm ſtultitiam tuam*: nec dicam quod te deceat audire, ſed quod ex ſenſu Pontificis, Catholicum virum loqui. Audi igitur quid loquar. Pontificem dicis, Antoni, *Deum ridiculum*: ego, nullum Deum eſſe, nec dici velle. Quòd ſi pro vero Deo vllus Pontificum ſe habuerit, illum tu ne adores, ſed horreas; idque iam tibi edico. *Vice-Deum* appellas. Ille verò ſe *ſeruorum Dei ſeruum* libenter agnoſcit. *Vice-Dei* titulum à nonnullis oblatum

Seneca De Conſtantiâ c. 11.

ita reſpuit & ægrè tulit, vt dedicationem niſi emendatam, edi prohibuerit. Nec tamen Iesv Chriſti Vicarium negare ſe debet; ne ſimilis ſit inimico ſuo, *mendax*. Sed nec ignorare debes, illum poſſe quaſi Deum in terris, vel etiam *Vice-Deum*, Catholico ſenſu di-
Ep. 2. & 7. ci, cùm Martyr ſanctiſſimus Ignatius, Eccleſiam cælo comparet, infimos miniſtros infimæ Angelorum hierarchiæ, medios mediæ, Preſbyterorum collegium ſupremę, denique Epiſcopum ipſi Deo, qui omnem principatum & poteſtatem obtinet, Dei ipſius quantum fieri poteſt imitator. Huic Ignatij dicto, quia Epiſcopus es, applaudis lib. 2. c. 6. n. 10. quę talia à Catholicis ſi Pontifici Summo dicerentur, cælum terræ miſceres. Igitur in titulo *Vice-Dei*, & ſimilibus, nullum periculum foret, ſi Catholicorum ſcripta vel ſola ſapientia legeret, vel ſola pietas interpretaretur: nunc verò, cùm ſtulti legant qui facilè poſſunt offendi; cùm malitioſi legant, qui quærunt offendere, à nouis vocabulis temperandum Catholicis monet Pontifex, quæ nullam ipſi dignitatem adferre poſſunt, animabus verò perniciem, dum ex ijs calumniæ occaſiones hæretici captant. Quas enim vos l. 2. c. 6. n. 15. turbas ob illa Gloſſæ verba excitatis, *Dominum Deum noſtrum Papam?* Quis veſtrûm in Eccleſiam ſcripſit, qui non hæc verba

verba adduxit? quod tamen nullius Gloſſæ dictum eſt, ſed typographiæ mendum, aduerſus quæ numquam eſt ſatis cauta mortalitas. Nam Zinzelini autographũ in Vaticano habetur, cui vox *Deum* deficit. Quæ quia in Gregorianam editionem irrepſit, corripuit Pontifex præli correctoris negligentiam, quæ vobis reliquit vel hanc maledicentiæ occaſionem leuiſſimam. Nam vero ſenſu hæc dici poſſe vos ſcitis, nec blaſphema putatis, ſed putare vos fingitis. Nec in Catholicorum ſcriptis hæc dolenter inuenitis: quin talia, cùm non inſint, etiam violenter intruditis. Hac ratione tu tractas Innocentium Pontificem. Ille numquam dixit, ſe poſſe de ſede in ſedem Epiſcopum transferre, quia Deus eſt; Epiſcopos non poſſe, qui puri homines ſunt: ſed, ſe poſſe, quia Vicarius Chriſti eſt, qui cùm Deus ſit, tantam Vicario ſuo poteſtatem tribuere potuit: tribuit autem, quia ſanctorum Patrum hoc teſtatur auctoritas. Alios autem Epiſcopos certæ diœceſi alligatos eſſe voluit. Hæc ratio eſt, quòd carnale coniugium conſummatum ſoluere non poteſt Pontifex, non quia ſi vicaria & delegata à Chriſto poteſtate hoc poſſet, propterea Deus eſſet, vel thus illi adolendum, vel expedita latria exhibenda; quod tu, non ſolùm importunus calumniator, ſed etiam ineptus diſpu-

diſputator, conſequens eſſe putas: potuiſſet enim profectò Vicario ſuo Chriſtus hanc poteſtatem reliquiſſe, ſi vel neceſſariam Eccleſiæ ſuæ vel vtilem iudicaſſet; nec tamen hac de causâ Deum putaſſet hominem Chriſti Vicarium ſapiens aliquis, nec propterea illi thus adolendum dixiſſet, quia Vicaria & delegata poteſtas (quanta quanta eſt) ſemper auctorem ſuum colere & venerari debet. Cauſa cur Vicarius Chriſti hoc non poſſit, vera eſt, quia Chriſtus hanc poteſtatem illi non reliquit, nec eam deberi Vicario Chriſti probauit antiquitas. Voluit enim Chriſtus, carnalis coniugij iura firma & perpetua eſſe, quæ nullus mortalis ſed ſola mors ſolueret. Igitur ſi ſaperes, hinc colligeres, Pontificem Romanum non ſeipſum Deum facere, nec omnipotentiam ſibi arrogare; ſed certis Vicariæ poteſtatis finibus (quos ſapientia diuina præſcripſit, ſemper antiquitas agnouit) eſſe contentum. Itaque ſocietatem non dedignatur aliorum: cum Epiſcopis Epiſcopus eſt, ceteris non conſecratione, ſed iuriſdictione ſuperior; cum Chriſtianis Chriſtianus eſt, non iure Chriſtianitatis, ſed auctoritate præſtantior; denique cum hominibus homo eſt, ſi naturam ſpectes; purus, ſi vitam; non vt tu calumniaris, impurus. Diuino hoc iudicio relinquendum tibi fuerat. Quid

tu

tu iudicas alienum ſeruum? quid tu in communis Domini noſtri officium ſuperbus irrumpis? quid feſtinas? abeſt propiùs, quàm tu putas, dies illa quæ omnes nos diuino tribunali præſentabit, *vt referat vnuſquiſque prout geſſit in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum. Ignis ille reuelabit*, quis impurus fuerit; *tunc manifeſta fient conſilia cordium*, tunc apparebit, num Chriſti Vicarius veram diuinitatem furtiuâ ſuperbiâ affectauerit, an tu falſam illi calumniam audaci maleuolentiâ impegeris. 1. Cor. 4, 4. 2. Cor. 5, 10. 1. Cor. 3, 13. 1. Cor. 4, 5.

Hic Romani Pontificis ſenſus eſt: quod ego verbis, ille factis loquitur; dictaque tua vitæ innocentiâ, quâ nulla eſt illuſtrior oratio, confutat.

Nihil addo: te tantùm pauca hortor. Si ſapis, cede veritati, aduerſus quam quò vaſtiùs diducis fauces, hoc magis tuam pectori immanentem fœtorem exhalas. Ne te ingeras ſcriptioni, qui tanto oneri neque par ingenium, memoriam verò prorſus imparem habes. Scribendò nihil aliud obtinebis, quàm vt inimicis tuis ſis riſui, amicis gemitui, & tibi occinant illud B. Iob: *Vtinam taceretis, vt putaremini ſapientes!* Si pergere vis, ſaltem cura vt in ſcribendo modeſtior ſis & conſideratior, ne temerè quidquid in buccam venerit effundas: nec tumultuariè ex omnibus Iob 13, 5.

Au-

Auctoribus quidquid arriſerit, libro tuo inſeras. Libra tua verba, & expende. Sciąs, immodeſtiam ferocem fatuam, ſecumque pugnantem diſputationem, indicium eſſe non ſolùm fidei ſed etiam vitæ non puræ. Audi Ambroſium. Quando *animus*, inquit, *incerto lubricus motu, malitiæ fœdus atramento, crudelitatis furore ſuccenſus, etiam corporalibus flagitiis incitatur, luxuriæq́; cupiditate præcipitatur in facinus appetendæ ſalutis alienæ: tunc magnum eſt diluuium, omnibus pariter ingruentibus paſsionibus; tunc ſe inſipientia, iniuſtitia, temeritas, improbitas, perfidia de ſuperiore partē, tamquam cataractæ mentis videntur effundere.* Hæc Ambroſius; quæ ſi conſideraſſes, cautiùs fortaſſis modeſtiuſque ſcripſiſſes, neque tantâ mole ineptiarum quas inſipientia, calumniarum quas iniuſtitia, contradictionum quas temeritas, contumeliarum quas improbitas, hæreſum quas perfidia ſolet effundere, obnoxium te feciſſes Ambroſianæ cenſuræ, te non vnâ peſte laborare, ſed ad venena deprauatæ mentis etiam contagia corporeæ obſcuritatis accedere. Neque tamen hac in re præcipito ſententiam meam, quamuis omnium indigniſſimus tu ſis, cui ſuſpicio parcat, cùm de Catholicis Epiſcopis ſcribere audeas, *omnes penitus tenebroſos eſſe, Catholicamq́; Eccleſiam in Prælatis ſuis totam car-*

De Noë & Arcâ c. 14.

Præf. n. 3.

carnalem & mundanam eſſe, vixq́; alium quàm carnalem & mundanum Chriſtum agnoſcere. Cui calumniæ tuæ cum D. Nazianzeno Catholica reſpondet. *Rei veritatem magis curo, imò ſolùm curo: hoc enim me vel condemnauerit, vel abſoluerit; hoc miſerum vel beatum reddiderit. At quid alijs videatur, nihil ad nos, quemadmodum nec alienum ſomnium. Non ita aliis videtur. Quid verò? an ijs, qui vertigine correpti ſunt, terra fixa & ſtabilis eſſe videtur? Quocircà fac priùs fidem ſanos eos eſſe, qui de nobis ita ſentiunt; ac tum nos admone, vt meliorem frugem induamus.* Nazianz. Orat. pro ſeipſo.

Non poſſum fidem facere, Antoni, te ſanæ mentis eſſe? poſſem contrarium ex tuis dictis euincere, cùm dicas illa ipſa, quæ neminem ſanæ mentis dicturum tu ipſemet prædixeras. Duo accipe exempla. Alterum ex lib. 2. c. 2. n. 5. *Omnes Apoſtolos*, inquis, *fuiſſe à Chriſto immediatè vocatos, nemo ſanæ mentis dubitat.* At tu ipſe cap. ſeq. n. 3. de quinque Apoſtolis, Iacobo Alphæi, Thomâ, Bartholomæo, Thaddæo, Iudâ Iſcariotâ, dubitas an ſponte an vocati ad Chriſtum acceſſerint. *Neceſſe eſt*, inquis, *hos multitudini illi diſcipulorum vel ſponte vel vocatos fuiſſe aggregatos.* Secundum ex lib. 1. c. 8. n. 6. Dicis, Petro non fuiſſe *commiſſum officiũ confirmandi, inſtruendi, & corripiendi Apoſtolos. Quibus rebus,*

inquis, *Apoſtolos indiguiſſe ab alio, quàm à Chriſto, nemo ſanæ mentis dixerit.* At tu lib. eodem c. 11. n. 14. de Petro Apoſtolorum Principe hoc dicis, dum vis eum à Paulo fuiſſe correctum quòd in fide erraret. *Iam*, inquis, *etiam poſt ſuſceptum plenè Principatum ipſe eget confirmatione, inſtructione, & correctione à nouiſſimo Apoſtolorum.* Non vides te vertigine laborare, tuoque teſtimonio conuinci ſanæ mentis non eſſe? vt mirum non ſit, ſi tibi Catholica Eccleſia ſupra Petram fundata moueri, & à vero Chriſto ad carnalem conuerti videatur.

Imò lib. 2. c. 10. n. 45. pari audaciâ ſcribis, ridiculũ eſſe quòd nos inſectemur apoſtatas, præſertim iuniores, qui ad Reformatas Eccleſias deficientes ducunt vxores, quaſi libidinis causâ hoc faciant. *Quaſi verò*, inquis, *iam non liceat paſſim noſtris Sacerdotibus & Religioſis abſque vllâ commigratione impunè ad exemplum plurium Cardinalium & Epiſcoporum, in omnem libidinem ſe effundere; cùm in Reformatis Eccleſiis ſancto matrimonij vinculo, ſumma libidinum noſtrarum libertas in iſtis confugis coërceatur.* Hæc tu palàm falſa dicis. Primò, noſtros Sacerdotes, imò Religioſos, poſſe impunè ſe in omnem libidinem paſſim effundere. Secundò, vos apoſtatas in Reformatis Eccleſiis vnâ eſſe contentos. Hoc quî

pro-

probas? Cur potiùs aliis Miniſtris veſtris non aſſentiamur, qui palàm fatentur, *coniugiũ in Lutheranis Sacerdotibus non extinguere vagas libidines?* Sed hęc omitto, quia video, iſta à te noſtri quidẽ Cleri accuſandi, ſed multò magis tui ipſius excuſandi causâ dici, ne puteris à nobis libidinis causâ profugiſſe. Duabus rationibus hanc à te ſuſpicionem tacitè ſubmoues. Primò, quòd ex iunioribus non ſis, qui præſertim ob libidinem deficiunt. Secundò, quòd tibi in Catholicâ libidinis palàm explendæ commoditas fuerit. Sed neutra ratio te liberat. Falſum eſt enim, eſſe plerumque iuniores, qui libidinis causâ apoſtatæ fiunt. Seniores ferè ſunt, adultæ robuſtæque nequitiæ, quorum *oſſa* ſenilia *implentur vitiis adoleſcentiæ ſuæ*: quibus diuturnâ fœditatum conſuetudine corruptis, tanta cæcitas mentis, quanta hæreſis eſt, iuſta pœna debetur. Tales ſunt, quales illi, quorum vni Daniel olim dixit: *Inueterate dierum malorum, nunc venerunt ſuper te peccata, quæ priùs operabaris: ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum.* Deinde quamuis Catholica Eccleſia numquam impura flagitia vel in Sacerdotibus vel in Religioſis pœnâ corporali afficeret (quod tamen nemo neſcit eſſe falſiſſimum) nihilominùs multa alia grauia ſunt, quibus moueri poſſint vt profugiant.

Sylu. Creſ. canou. De corr. mor. p. 33.

Iob 20, 11.

Daniel 13, 52, 57.

Primò, conſcientiæ carnificina, quæ tolli niſi hæreticâ perſuaſione non poteſt. Secundò, infamia: quia Sacerdotes & Epiſcopi, ſi qui palàm impuri ſint, infimæ plebis ludibria fiunt. Tertiò, verecundia, quâ non poſſunt non ſæpè perfundi & confundi, cùm concionatores in iſtiuſmodi ſcelera inuehentes audiunt, quibus concionibus per ora populi traducuntur. Quartò, bonorum conſortium, quorum vitæ puritas eorum oculos perſtringit, illiſque fœditatem ſuam exprobrat. Quintò, quòd proles infamis & illegitima ſit. Sextò denique, quòd legibus viuant obnoxij & pœnis concubinariorum, quę graues ſunt: à quibus, quamuis inpræſentiarum immunes aliquando ſint, quando Prælatum nacti ſunt, qualis fortaſſis tu eras, qui reliquis indulget ſcelera, quibus ipſe indulget; numquam tamen ſecuri ſunt, cùm poſſit fieri, vt ſucceſſor maioris zeli futurus ſit, vel ipſemet ex diſſoluto ſeuerior euadat. Itaque ſuſpicione, quòd libidinis liberiùs explendæ cauſâ perfuga factus ſis, te non ſatis liberas; potiùs hoc tuo ex mendaciis conflato Apologetico ſuſpicionem auges. Nihilominùs in te vnum moderatior ero, quàm tu in Catholicum Clerum vniuerſum. non te damnabo ſcelerum, quæ mihi non conſtant. Dei oculis te committo, *in cuius conſpectu procidunt vniuerſi,*

uerſi, qui deſcendunt in terram. Solus enim, inquit S. Auguſtinus, *Deus videt quomodo cadant vniuerſi, qui cæleſtem deſerentes conuerſationem, in terrâ cupiunt beati apparere, hominibus non videntibus ruinam eorum*. Tantùm moneo, ſi caſtus ſis, ne vitæ puritatem turpi ſcriptione infames, ne mendaciis aduerſus Catholicam agas, *ne videas in te condemnata, quæ falsò in aliis criminaris*. Atque hîc Cenſuram præambulam abrumpo; nec tamen te deſero, quem reliquo Libro alloquor.

Hieronym. Apolog. 1. adu. Ruffin. 10.

APPROBATIO.

CENSVRA hæc Fidelis Annoſi Verementani præambula Reſponſioni pleniori contra Libros de Dominis, digniſſima eſt quæ prælo committatur. Quod cenſeo 2. Nouemb. M. DC. XIX.

Egbertus Spitholdius Plebanus.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTVS & ISABELLA CLARA EVGENIA Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, Diplomate ſuo ſanxerunt: ne quis Librum cui titulus eſt, *Hypocriſis Marci Antonij de Dominis detecta, ſeu Cenſura in eius Libros de Republicâ Eccleſiaſticâ, præambula pleniori reſponſioni, Auctore Fideli Annoſo Verementano Theologo*, præter Balthaſaris Moreti voluntatem intra ſexennium vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſum, in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venalémve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur; vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ, xx. Decembris, M. DC. XIX.

Signat.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

De VVitte.